mens Barkesdale.

Imprimatur,

Ex Æd. Lamb. *Tho. Tomkyns.*
Maii ult.
1671.

MICROFILMED — 1978

mens Barkesdale.

Imprimatur,

Ex Æd. Lamb. *Tho. Tomkyns.*
Maii ult.
1671.

MICROFILMED — 1978

Doctorum Virorum

ELOGIA

THUANEA.

Operâ *C. B.*

Is. Casaub. in Epist. ad Ja Aug. Thuan. Quid dicam de illo immenso tuo in literas amore? quem quidem eximie declarasti, cum in contexendis Annalibus tuis eorum interire memoriam non es passu, qui ad iliarum illustrationem, in hac ipsorum παλιγγενεσία, vel mediocrem saltem aliquam symbolam contulissent.

LONDINI,
Apud *Spencer. Hickman* ad Insigne Rosæ
in Cœmiterio D. *Pauli.*
Anno MDCLXXI.

VENERANDÆ
ECCLESIÆ CATH.
GLOUC. HÆC ELOGIA
THUANEA LUBENS
MERITO DICAVIT
BIBLIOTHECARIUS
C. B.

De Thuano.

Elogia hic ſcripſit doctorum digna virorum:
Ipſi par nullum ſcribitur Elogium.

Aliud.

Condecorat doctos, idem doctiſſimus; Ille
Thuanus, nupera primus in Hiſtoria.

Lectoribus.

Vos Adoleſcentes, quibus eſt doctrina voluptas,
Hoc juvat Autores edidiciſſe libro.

Aliud.

Conſultos Juris, Medicos, rerumque peritos
Sacrarum, quoſvis, pagina noſtra refert.

INDEX

Index Chronologicus.

1547.

Franciſcus Vatablus
Beatus Rhenanus
Joannes Schoeferus
Conradus Peutingerus
Petrus Bembus
Jacobus Sadoletus.

1548.

Gregorius. Corteſius
Marius Molza.

1549.

Margarita Navarræ
Jacobus Zieglerus.

1550.

Joannes Vaſarus
Joan. Pierius
F. Georgius Triſſinus.

1551.

Martinus Bucerus
Andreas Alciatus
M. Antonius Flaminius
Jo. Baptiſta Montanus
Joachimus Vadianus.

1552.

Everardus Bilichius
Jo. Cochlæus
Sebaſtianus Munſterus
Petrus Appianus
Jodocus Villichius
Lazarus Bonamicus
Lilius Gregorius Giraldus
Paullus Jovius
Ferdin. Nonius Pincianus.

1553.

Joannes Rivius
Eraſmus Reinboldus

Jacobus Sturmius
Joan. Dubravius Skala
Jo. Baptista Egnatius
Michaymus Fracastorius.

1554.

Joannes Ferus
Xistus Betuleius
Simo Portius
Sigismundus Gelenius
Franciscus Franchinus.

1555.

Wolfangus Lazius
Conradus Pellicanus
Georgius Agricola
Gemma Frisius
Edvardus Wottonus
Isidorus Clarius
Olympia Fulvia Morata
M. Antonius Majoragius
Orontius Finæus
Petrus Gillius.

1556.

Joannes Sleidanus
Joannes Forsterus
Sebastianus Corradus
Jonnes Gelida.

1557.

Joan. Baptista Ramusius
Nicolaus Tartalea
Petrus Nannius
Salmonius Macrinus
Angelus Caninius.

1558.

Joan. Bugenhagius
Joan. Fernelius
Janus Cornarius
Jacobus Micyllus
Joannes Pena
Romulus Amasæus
Julius Cæsar Scaliger
Aloisius Lipomanus
Andreas Tiraquellus
Joannes Vergara.

1559.

Franciscus Duarenus
Æmerus Randonetus
Joachimus Perionius
Robertus Stephanus
Jo. Baptista Folengius
Jacobus Milichius

1560.

Joannes Bellaius
Joachimus Bellaius
Lælius Capilupus
Ja. Bonfadius
Loisa Sigea
Philippus Melanchthon
Georgius Sabinus

Petrus

Petrus Lotichius Secundus
Nicolaus Gerbelius
Joannes Driander.

1561.

Gabriel Facrus
Arnoldus Arlenius
Melchior Valmarius.

1562.

Petrus Martyr
Jacobus Hollerius
Gabriel Fallopius
Baſſianus Landus
Barthol. Cavalcantius.

1563.

Joannes Brodæus
Stephanus Boetianus
Arnoldus Ferronus
Jo. Baptiſta Gellus
Wolfangus Muſculus
Henricus Glareanus
Sebaſtianus Caſtalio.

1564.

Joannes Calvinus
Martianus Borræus
Theodorus Bibliander
Petr. Franciſ. Fambularius
Andræas Veſalius
Gulielmus Marcellus
Joannes Buteo
Michael Angelus Bonarota.

1565.

Alexander Aleſius
Joan. Matheſius
Jo. Langius
Conradus Geſnerus
Hadrianus Turnebus
Antonius Goveanus
Gulielmus Philander
Kyriacus Strozza
Joan. Grollierius.

1566.

Joannes Draconites
Leonardus Fuchſius
M. Hieronimus Vida
Benedictus Varchius
Aloyſius Cornarus
Carolus Molinæus
Gul. Rondeletius
Georgius Caſſander
Lucas Fruterius
Petr. Joannes Perpinianus.

1567.

Michael Stifelius
Joannes Langus
Franciſcus Robortellus
Octavianus Pantagathus
Paulus Leopardus.

INDEX.

1568.

Erasmus Argentinensis
Jo. Oporinus
Onufrius Panuinus
Franciscus Luisinus
Gul. Gratarolus
Rogerius Aschamus.

1569.

Victorinus Strigelius
Joannes Lonicerus
Daniel Barbarus
F. Sixtus Senensis
Cælius Secundus Curio
Baptista Menilius.

1570.

Joan. Brentius
Joan. Tilius, &
Frater ejus
Jacobus Grevinus
Joannes Mercerus
Petrus Montaureus.

1571.

Claudius Espencæus
Henricus Scrimgerus
Ludovicus Castelvetrus
Georgius Fabricius
Joannes Jullus.

1572.

Petrus Ramus
Dionysius Lambinus
Ægidius Scheudus
Joan. Wolfius.
Donatus Jamotius
Hippolytus Salvianus
Joannes Argenterius
Nicolaus Gruchius
Ant. Rodolfus Cevallerius
Stephanus Szegadinus
Jo. Genesius Sepulveda.

1573.

Michael Hospitalius
Andræas Masius
Carolus Langius
Franciscus Fabricius.

1574.

Paullus Manutius
Joachimus Camerarius
Hieronymus Amalthæus
Jo. Baptista Amalthæus
Joan. Guinterius
Benedictus Aretius
Cyprianus Leovicius
Hermannus Cruserius
Enimundus Bonefidius
Regin. Clutinius Flaviniacus
Joannes Versosa
Georgius Vasarius

1575.

INDEX.

1575.

M. Antonius Boba
Bernardinus Rota
Franciſcus Maurolycus
Fridericus Commandinus
Matthias Flacius Illyricus
Henricus Bullingerus
Hadrianus Junius
Gulielmus Canterus.

1576.

Gulielmus Xylander
Joſias Simlerus
Conradus Heresbachius
Georg. Joachimus Rœticus
Hieronymus Cardanus.

1577.

Antonius Contius
Petrus Daneſius
Joannes Gorræus
Remigius Bellaqua
Hannibal Cruceius
P. Andræas Matthiolus
Petrus Nonius
Jom. Barroſius
Lud. Andr. Reſendius
Adamus Bodenſteinius.

1578.

Laurentius Surius
Gerardus Falcembergius
Antonius Mizaldus
Petrus Leſcotus Clavius
Alexander Picolomineus
Jo. Baptiſta Raſarius.

1579.

Joannes Hartungus
Erasmus Oſvaldus
Joannes Stadius
Ludovicus Regius
Jo. Baptiſta Hadrianus.

1580.

Hieronymus Wolfius
Immanuel Tremellius
Hieronymus Surita
Alvardus Gomecius
Hieronymus Oſorius.

1581.

Jac. Billius Pruneus
Gulielmus Poſtellus
Hubertus Languetus
Andræas Papius
Petrus Ciacconus
Jo. Bapt. Camotius
Hubertus Folieta
Lucas Patus
Joan. Fichardus
Franc. Portus
Franciſ. Venerius.

1582.

1582.

Jacobus Pellevicinus
Laurentius Joberti
Georg. Buchananus.

1583.

Joan. Maldonatus
Hubertus Goltzius
Thomas Erastus.

1584.

Paulus Foxius
Vidus Faber Pibracius
Gentianus Hervetus
Franciscus Turrianus
Baldricus Fuggerus
Joan. Sambucus
Janus Gulielmius
Abrahamus Bucholtzerus.

1585.

M. Ant. Muretus
Pet. Victorius
Carolus Sigonius
Sebastianus Echinus
Rembertus Dodonaus
Joan. Molanus
Jo Crato
P. Ronsardus.

1586.

Martinus Navarrus
Antonius Augustinus
Octavianus Ferrarius
Julius Castellanus
Laurentius Gambarus
Hieronymus Columna
Galeacius Caracciolus
Martinus Chemnitius
Ludovicus Lavaterus
Rodolfus Gualterus
Matthæus Wesenbecius.

1587.

Elias Vinetus
Jac. Stekius
Joan. Wigandus
Germanus Valens Gnelius
Jacobus Pamelius
Jacobus Maniotus.

1588.

Joannes Wierus
Theodorus Zuingerus
Bernardinus Tilesius
Spero Speronius
Augerius Ferrerius
Joannes Auratus.

1589.

Franc. Roaldesius

Christo-

Christophorus Plantinus
Joan. Sturmius
Henricus Millerus
Martinus Cromerus
Melchior Guillandinus
Jacobus Zabarella
Andreas Dudithius
Ludovicus Guicciardinus.

1590.

Franciscus Hotomanus
Jacobus Cujacius
Gul. Salustius Bartassius
Robertus Garnerius
Jo. Bapt. Benedictus
Jason Denores
Julius Alexandrinus
Flaminius Nobilius
Hieronymus Zanchius
Nicodemus Frischlinus
Fr. Salinas
Ambrosius Morales.

1591.

Jac. Amiotus
Antonius Sadeël
Hugo Donellus
Adolphus Metherceus
Victor Giselinus
Anton. Carafa
Laurentia Strozzia.

1592.

Auger Gislenius Busbequius
Jo. Vincentius Laurens
Michael Montanus
Frider. Furius Cariolanus.

1593.

Latinus Latinius
Joannes Leunclaius.

1594.

Franc. Foxius Candala
Plautus Bencius
Claudius Puteanus
Gerardus Mercator
Orlandus Lassus
Corn. Bonavent. Bertramus.

1595.

Lævinus Torrentius
Torquatus Tassus
Reinerus Reineccius
Michael Neander
Valens Acidalius
Gulielmus Whitakerus
Philippus Nerius.

1596.

Franc. Toletus
Petrus Angelius

Frider.

Fridericus Sylburgius
Janus Dusa
Nicolaus Vignerius
Joan. Bodinus
Annibal Fochius
D. Sept. Florens Christianus
Petrus Pithæus.

1597.

Gilbertus Genebrardus
Suffridus Petreius
Gabriel Paleotus
Aldus Manutius
Fr. Patricius
Fran. Raphelengius
Hier. Commelinus.

1598.

Benedictus Arias Montanus
Abrahamus Ortelius
Joachimus Camerarius
Dominicus Lampsonius
Henricus Stephanus.

1599.

Paulus Peruta
Josephus Zarlinus
Alfonsus Ciaconius
Garsias Loaisa
Jo. Levinius.

1600.

Fulvius Ursinus
Anton. Riccobonus
Conradus Dasypodius
Carolus Utenhovius
Petrus Faber.

1601.

Jo. Vincentius Pinellus
Tycho Brahe
Richardus Streinius
Joan. Hamius
David Chytræus.

1602.

Lazarus Superantius
Maximus Margunius
Paulus Melissus Schedius
Martinus Rolandus
Gaspar Lucerus
Franc. Junius
Joan. Passeratius.

1603.

Andreas Cæsalpinus
Franc. Vieta
Vidus Coquillius Romanus.

1604.

Janus Dusa

Obiit

Obertus Giſanius
Hieronymus Mercurialis
Arnoldus Oſſatus.

1605.

Pontus Thiardæus Biſſianus
Theodorus Beza
Robertus Conſtantinus
Simo Marionus.

1606.

Sifredus Calignonus
Philippus Porta
Reginaldus Belnenſis
Juſtus Lipſius
Helias Putſchius.

Errata

Errata ſic corrige.

20. 21. coluit	59. 28. ægritudine
34. 6. alludens	63. 18. *dele* per
39. 15. humanitate	66. 8. in illo
42. 28. ſuperant)	79. 14. Latine
49. 7. factum,	80. 15. permiſſu

Doctorum

Doctorum Virorum

Elogia

THUANEA.

M. D. XLVII.

Franciscus Vatablus. Quem Hebræi ipsi *Lutetiæ* Hebraicas literas profitentem admirati sunt, Christiani verò maximo cum fructu docentem audiverunt. Is Græcæ linguæ peritissimus multa ex Aristotele in Latinam transtulit: dein relicto Philosophiæ studio ad sacras literas se totum applicuit, multâque hujus generis sub ejus nomine circumferuntur, ac *Notationes* inprimis *in Vetus Test.* ab Auditoribus ex illius prælegentis ore exceptæ. Nam ipse

sive naturali pigritia (quod illi exprobratum est) sive morte præventus nihil omnino scripsit: satisque habuit sacræ linguæ arcana discipulis diligentioribus aperire, illustri nominis sui fama & alieno præconio contentus.

Beatus Rhenanus. Vir in humanioribus literis, antiquitate & pia doctrina exercitatissimus, ingenio miti, ut qui in cogitatione de constituenda ex omnium consensu in religione *concordia* consenuerit: summus *Desiderii Erasmi* observator, qui eandem viam in his turbis instituit.

—*Joannes Schonerus*, Astronomiæ, (quam post *Regiomontanum* opere illo egregio *Resolutarum Tabularum* maxime illustravit) scientiâ insignis; & illa inprimis, quæ ex positu astrorum de cujusque fortunis judicium fert, multis observationibus ab illo locupletata.

Conradus Peutingerus. Vir ut natalibus, sic dignitate clarus; & cujus memoriam *Tabula Peutingeriana* postea à *M. Velsero* edita apud doctos renovavit.

Petrus Bembus, & *Jacobus Sadoletus.* Uterque versu & pedestri oratione politissimus scriptor. Verum illius multa licentiosius (ut temporum nequitia, & Domini, cui serviebat, mores ferebant) scripta exstant: hujus contrà seria fere omnia,

omnia, & digna perſonâ quam ſuſtinebat. Utriuſque in diſpari morum inſtituto, ſortuna tamen par fuit. Nam & ambo ſimul à *Leone* X. ut primum ſummum ſacerdotium inivit, ex omni doctorum numero delecti, quorum in conſcribendis Epiſtolis opera & ingenio uteretur: dein & in Coll. Cardinalium eodem anno à *Paulo* III. allecti ſunt, ſub quo & fatis conceſſere.

M. D. XLVIII.

Regorius Corteſius Card. Is antiqua & nobili familia *Mutinæ* natus, ſed moribus ac erudito ingenio longe nobilior fuit. Cujus tamen pauca ad nos monumenta pervenerunt, ab *Herſilia Corteſia* Fratris F. diu poſtea publicata.

Marius Molza, verſibus Latinis & vernacula lingua ſcriptis apud ſuos cumprimis clarus.

M. D. XLIX.

Margarita Franciſci ſoror, *Henrici Labretani* Navarræ Regis Conjux,

femina omnibus ingenii & animi dotibus exculta: Ejus nomine *Fabellarum* volumen, imitatione *Jo. Boccatii* editum, circumfertur: si tempora & juvenilem ætatem, in qua scriptum est, respicias, non prorsus damnandum, certe gravitate tantæ Heroinæ, & extrema vita minùs dignum. *Decima Musa* & *quarta Charis* à studiosis omnibus, aut una ix. Musarum & trium Charitum instar appellari meruit; versibusque passim editis, & nummis percussis, his Elogiis ornata est: præcipue vero à III. sororibus Anglis; *Anna*, *Margarita* & *Jana Semeriis*, (non minus ob splendorem generis, quàm ingenii elegantiam & eximiam eruditionem cum rara morum probitate conjunctam æterna commendatione dignis) celebrata est, edito *Hecatondisticho*.

Jacobus Zieglerus, vir exquisitæ doctrinæ, multa commentatus est: ex quib. quædam *in selectos S. Scripturæ locos* publicata sunt.

M. D. L.

JOannes *Vasæus*, qui diu in Hispania moratus, res etiam *Hispanorum* continua ac luculenta *Historia* complexus est.

Joan. Pierius. Is inter doctiſſimos ſeculi ſui meruit recenſeri, & *Mediceæ* familiæ (cujus favori ac munificentiæ ſuæ incrementa literæ in *Italia* debent) addictus, diu in Aula Rom. ſtudiis invigilavit, & magna negotia tractavit. Ejus inter alia *Virgiliana Lectiones*, & *Hieroglyphica* maxime commendantur. Quæ virum alioqui Poetica præſtantem, in omni politioris literaturæ, antiquitatis & ſcientiarum genere tota vita verſatum oſtendunt.

J. Georgius Triſſinus, ad virtutem & literas natus, linguarum peritiſſimus, & in omni ſcientiarum genere exercitatiſſimus. Quæ omnia ad decus & illuſtrationem ſuæ Italiæ, atque adeo linguæ vulgaris contulit. Primus genus *carminis ſoluti* feliciter uſurpavit (cùm à temporibus *Fr. Petrarchæ* Itali rhythmis uterentur) & *Poëſim* ad *Ariſtotelicam* normam exegit, luculento de ea ad Interpretationem tam à multis triti quam à paucis intellecti operis ſcripto edito. Multa ſcripſit, & inprimis *Italiam liberatam*; novo etiam *Literarum* genere à ſe inventarum uſus. Primus item inter Italos *Comedias* dedit & *Tragedias*; & *Sophoniſba* ejus magno in pretio habetur. *Architectura* maximè delectatus eſt: ab eoque *Andræas Palladius* (cujus quæ

in eo genere exstant tantopere commendantur) ex communi fama (etiam ab iis, qui alioqui *Palladii* gloriæ minime invident) secreta artis præcipue didicisse creditur. Inter commentandum (nam ejus vita nunquam fuit desidiosa) magna negotia gessit.

M. D. LI.

Martinus Bucerus, Cantabrigiæ diem suum obiit, multorum carminibus Epitaphiis celebratus, ac præcipue duorum *Buffolaiorum* fratrum: quorum materi semper ægrotanti assedit, & omnia humanitatis officia præstitit. Paulo antequam moreretur, cùm Germaniæ statum deploraret, moleri se sæpius dixit, "ut in tanto "multorum ardore Deum cognoscendi & "Ecclesiæ instaurandæ, deficiente disci-"plina (qua improbi castigarentur, & "ordo in ministerio servaretur) laudabiles eorum conatus diu aut feliciter "procederent. Itaque optare unice se, "ut quæ ad Edvardum Regem de Eccle-"sia disciplina constituenda scripto com-"prehendisset, per Angliæ regnum lo-"cum haberent & religiosè observa-"rentur.

Andreas

Andreas Alciatus, qui primus purioris literaturæ & antiquitatis cognitionem ad *Juris* scientiam attulit: in *Gallia* diu professus, nostris hominibus ad eandem scientiam illustrandam exemplo suo viam præivit.

M. Antonius Flaminius, qui ad Poetices (in qua inter *Italos* excelluit) & ad Philosophiæ studia, etiam pietatem non vulgarem adjunxit: à *Reginaldo Polo* monitus divinam *Davidicorum Psalmorum* Majestatem primus inter suos cum aliqua laude Latinis versibus expressit, & *Fr. Spinulam* suo exemplo ad eandem Poetices laudem invitavit, majora utique præstiturus, nisi infirmitas stomachi, & alia valetudinis incommoda studiosis familiaria retardassent, ac postremo non ita ætate provectum eripuissent.

Jo. Baptista Montanus, Medicus præstantissimus, cujus scripta magno in pretio habentur, partim ab auctore dum viveret publicata, partim à grato discipulo *Jo. Cratone* (qui medicinam feliciſſime sub III. Impp. fecit) post ejus mortem edita.

Joachimus Vadianus, Mathematicis artibus, ac *Geographiæ* præcipue (quam scriptis illustravit) cognitione clarus; tum & ad extremum etiam *Theologus* non exigui

inter suos nominis, & propter prudentiam cum summa integritate conjuctam ex umbra & pulvere literario in lucem civilem evocatus, delato à civibus summo patriæ suæ magistratu: in cujus administratione non solum conceptam de se spem æquavit, sed etiam longe superavit. Ut ejus exemplo confirmari possit, *Philosophis & literatis hominibus Reipub. administrationi minime interdicendum esse.*

M. D. LII.

Erardus Bilichius, ob ingenii in enodandis sacræ doctrinæ perplexis quæstionibus subtilitatem magni nominis *Theologus.*

Jo. Cocchlæus, insignis *Theologus*, & multis atque eruditis pro Canonicæ Scripturæ & Ecclesiæ Catholicæ auctoritate scriptis editis clarus.

Sebastianus Munsterus. Is in *Mathematicis* multum profecerat; postea verò se totum Hebraicæ linguæ & sacris libris addixit, multis editis in utraque scientia monumentis de Rep. optime meritus, adeo ut *Germanus Esdras* ac *Strabo* appellatus sit.

Petrus

Petrus Appianus, Astronomicæ rei scientia nostro ævo clarissimus: quam scriptis, & *novorum instrumentorum*, summo ingenio, & accurata fide fabricatorum, inventione illustravit; atque illo *Cæsareo Organo* inprimis, quod *Carolo* V. dicavit, eo nomine magnam laudem consecutus, & dignitate à *Cæsare* ipso auctus.

Jodocus Villichius, Philosophiæ ac Medicinæ studiis celebris, & vel *Magirica* sua à *Conrado Gesnero* publicata, ad posteritatem commendabilis.

Lazarus Bonamicus, Patavii in ea celeberrima totius Italiæ Academia per XXI. annos summa cum omnium admiratione professus; & ob antiquitatis exactam cognitionem, omnigenam eruditionem, raram eloquentiam & acre judicium tam ab Italis quam à peregrinis, quamdiu vixit, magna dignatione, & meritò quidem habitus.

Lilius Gregorius Giraldus, utriusque linguæ & omnis politioris literaturæ & antiquitatis (quam *variis scriptis* illustravit) longe peritissimus: qui fortunæ & corporis adversitatibus, meliore utique fato dignus, tota vita conflictatus est; arthritide sæva diu vexatus, ita ut non solum pedibus ægre se loco moliri, sed manibus debilitatis scribere omino non

posset,

poſſet, ac nè libros quidem evolvere, ad extremam ſenectutem, non ſolum tenuitate miſeram, ſed ſine literis, in quibus vir doctus ſuperiorem vitam exegerat, moleſtam, ætate perducta.

Paullus Jovius, luculentus *Hiſtoriarum* ſcriptor. Homo gratioſus ſe paſſim obnoxium prodit, eoque nomine ipſi in pleriſque rebus fides derogatur; quòd ad gratiam, & in odium ſcripſiſſe, & venalem calamum habuiſſe fere omnibus perſuaſum ſit.

Ferdinandus Nonius Pinciaunus, qui cum literis humanioribus operam dediſſet, & Græcam linguam (ad quam eo ſeculo fere incognitam) incredibili ſtudio ferebatur, in Italia didiciſſet, inde comparatis magno pretio *exemplaribus Græcis*, domum reverſus, primus linguæ illius (qua omnis fere eruditio continetur) uſum in *Hiſpaniam* intulit: & *Ferdinandi* Regis favore ſubnixus, cum ad honores virtutis via graſſari poſſet, ſtudia literarum vitæ civili prætulit; & *Franciſco Ximenio* Cardinali (cujus pietati & animi magnitudini tantum Hiſpania debet) operam ſuam & induſtriam in procudenda illa ad omne ævum duratura *Bibliorum* editione addixit. *Salmantica* literas Græcas ac Latinas profitendo conſenuit, editis *Hermolai Barbari*

æmula-

æmulatione in *Plinium*, *Melam*, & *Senecam* populares ſuos, Commentariis. Quod ad mores, vir pius & verax, ſed dicax & aliorum acerrimus cenſor: de cætero, faſtûs omnis ac gloriæ contemtor fuit. Vixit cælebs & abſtemius, frugali ſed citra ſordes menſâ amicos ac diſcipulos excipiens. Tandemque octogenario major, legata Scholæ *Bibliotheca*, quam inſtructiſſimam habebat, & erogatis in pauperum uſum facultatibus, placide in Deo obdormivit.

M. D. LIII.

Joannes Rivius. Is pueritiæ ac juventuti inſtituendæ ſedulam operam XXV. annos impendit, Latinæ linguæ ex *Terentii* præcipue Fabulis (quas & *Notis* illuſtravit) hauriendæ & addiſcendæ ſuis auctor & hortator aſſiduus: ad extremum, ſtudiis *Theologicis* ſe totum mancipavit: in quibus & multa ſcripſit, ac poſtremo defecit.

Eraſmus Reinholdus. Qui ſecundum *Joan. Mullerum Regiomontanum*, & *Nicolaum Copernicum* rem Aſtronomicam maxime illuſtravit, additis ad *Ptolomæum* & *Alfonſinas* directionum & motuum cœleſtium

leſtium *Prutenicis Tabulis* exactiſſime putatis cum *Logiſtica* Aſtronomicorum ſcrupulorum, plura præſtiturus, niſi eum præmatura mors nobis eripuiſſet.

Jacobus Sturmius, magnum Nobilitatis Germanicæ ornamentum. Vir & rara eruditione & rerum agendarum peritia inſignis: qui *Joanni Sleidano* ad ſcribendam *Hiſtoriam* auctor & adjutor fuit.

Joan. Dubravius Skala. Qui bello & pace impiger patriæ i. *Boëmiæ Hiſtoria* luculenta ſcriptione bene de ſuis meritus.

Jo. Baptiſta Egnatius, familia honeſta, ſed in tenui re, *Venetiis* natus: *Angeli Politiani* (qui bonas literas in *Italia* intermortuas excitavit) diſcipulus, quique eas non mediocri ſtudio illuſtravit, & ſcriptis & publica XL. annorum profeſſione, cum ſumma totius *Italiæ* admiratione.

Hieronymus Fracaſtorius. Qui ad exactam Philoſophiæ & Mathematicarum artium, ac præcipue *Aſtronomiæ* (quam & doctiſſimis ſcriptis illuſtravit) cognitionem, ſummum judicium & admirabile ingenium attulit: quo multa ab antiquis aut ignorata, aut ſeria accepta adinvenit, & explicavit. Et *Medicinam*, ut honeſtiſſime ac citra lucrum, ita feliciſſime fecit. *Poeticam* vero ita excoluit, ut ad

Virgi-

Virgilianam majestatem proxime accessisse eum faterentur æmuli: & in iis *Jacobus Sannazarius*, alioqui parcus & amarulentus alienæ eruditionis laudator, qui, visa ejus *Siphilide*, non solùm *Joan. Jovianum Pontanum*, sed se quoque ipsum in Opere accuratâ XX. annorum limâ perpolito victum exclamavit. Ei certè hujus seculi ingens miraculum *Julius Cæsar Scaliger* tanquam illarum, quas dixi, scientiarum & Poëtices summum fastigium consecuto, *Aras* erexit.

M. D. LIV.

JOannes Ferus, professione *Franciscanus*, multa scripsit tanta moderatione, ut (scissâ ob *Religionis* caussam Germaniâ) ab utraque parte gratiam meruerit.

Xistus Betuleius, *Augustæ Vindelicorum* Gymnasio præfuit per annos XVI. & rem literariam, dum vixit, non mediocriter voce & scriptis editis juvit.

Simo Portius, olim *P. Pomponatii* celeberrimi ætate sua Philosophi discipulus, nequaquam Præceptore suo inferior, sed in eo superior, quòd ad *Peripatetica* scientiæ à doctoribus barbaris hactenus tractatæ cognitionem linguæ *Græcæ* & bonæ

bonarum literarum ornamenta attulit; nonnihil, dum *Aristotelicæ* doctrinæ plus justo tribuit, in disputationibus de *Anima* & mente humana *Pomponatii* sui culpæ affinis creditus, plerisque aliis in eo genere opusculis, quæ extant, magnum nomen adeptus.

Sigismundus Gelenius, cum egestate totâ vitâ conflictatus, & lautiore fortuna dignus ab *Erasmo* judicatus: cujus industria præcipue in vertendis plerisque scriptoribus *Græcis* & *Plinio* ad vetustorum codicum fidem emendando desudavit.

Franciscus Franchinus, Is *Marti Musas* sociavit, & victricia *Caroli* V. arma secutus *Algerianæ* Expeditioni interfuit, ejusque infelicem ac periculosum successum luculentis versibus descripsit: *Ulrico Hutteno* Equiti Franco (quamvis in diverso scribendi genere ingenium exercuerit) quadantenus comparandus, Cujus elegantes admodum *Dialogi*, nec *Luciani* acumini cedentes, ex immaturo docti æquè ac strenui viri obitu quasi parvæ Tabulæ ex magno naufragio supersunt, & hodie mira cum suavitate ab æquis talium rerum æstimatoribus leguntur.

M. D. LV.

M. D. LV.

Wolfangus Lazius, rerum *Græcarum* simul *Romanarum* & *Germanicarum* non indiligens scriptor: quod præclara ejus monumenta apud posteritatem testantur. Patriæ suæ illustrator & antiquitatis solers indagator.

Conradus Pellicanus, diu *Hebraicas* literas *Tiguri* magna cum laude professus, qui innumera fere *Rabbinorum* Commentaria non solum in S. Scripturam, sed etiam de Arcanis *Judaicæ* doctrinæ ritibus scripta ex *Hebraicis* Latina fecit.

Georgius Agricola, qui *de re metallica*, fossilibus, & subterraneis animantibus ita accuratè hoc seculo scripsit, ut omnes antiquos in eo genere longe superaverit, & exacta non solum eorum, quæ à veteribus prodita sunt, explicatione, sed & multarum rerum, quas veniens ætas indagavit, vestigatione eam *Historiæ Naturalis* partem illustraverit: Additâ, post *Gulielmum Budæum*, *Leonardum Portium*, & *Andræam Alciatum*, de Ponderibus, Mensuris, de pretiis Metallorum & Monetarum diligentissima tractatione.

Gemma Frisius, *Lovanii* Medicinam publicè

publicè professus, sed Mathematicarum scientiarum, quas domi docebat, rara scientia longè illustrior fuit. Quas etiam *Instrumentis* summo artificio elaboratis cumprimis illustravit: & in Aulam *Caroli* V. sæpe vocatus, cum se modestè excusaret, otium sibi gratia Principum potius esse insigni exemplo docuit.

Edwardus Wottonus, *Oxonii* natus, & apud suos *Medicinam* professus, editoque *de differentiis animalium* Commentario, clarum inter literatos adeptus nomen.

Isidorus Clarius Benedictinus, vir tribus linguis doctissimus: qui ad doctrinam Christianam mores castissimos, vitam integerrimam, animum nihil præter charitatem & *Ecclesiæ emendationem ac unionem* spirantem attulit, magna in pauperes largitate, & in omnes benignitate usus.

Olympia Fulvia Morata, morum sanctimonia, ingenio & eruditione cum quavis prisci ævi comparanda fœmina. Hujus *Miscellanea* fœminæ omni laude dignissimæ mores & raram eruditionem exprimunt, & quid à tam excellenti ingenio expectari potuisset, nisi præmature adeo in vivis esse desiisset, clarè ostendunt.

M. Antonius Majoragius. Multum eloquentia valuit, & *Aristotelis* & *Ciceronis*

ronis de ea Arte libros maxime illustravit. Hunc etiam adversus *Calii Calcagnini* calumnias defendit; & post egregie navatam totos XIII. annos in eruditionda juventute *Mediolanensi* operam, ad sacræ doctrinæ studia se demum contulit.

Orontius Finæus. Is primus secundum *Jac. Fabrum Stapulensem* (qui scientiarum orbem in *Gallia* à multis seculis incognitum, aut intermortuum excitavit; sed principia sola tradere contentus, cùm ad majora pergeret, tantum fontes indicavit) *Lutetiæ Parisiorum* magna frequentia Mathematicas scientias à *Francisco* præmiis invitatus docuit, & scriptis pro tempore eruditissimis illustravit.

Petrus Gillius. Qui ad exactam utriusque linguæ, antiquitatis, veterum scriptorum, bonarum disciplinarum ac præcipue rei naturalis cognitionem, indefatigabile longuinquas regiones lustrandi studium attulerat; quo incitatus, per XL. amplius annos, instituta per *Græciam*, *Asiam* utramque, & majorem *Africæ* partem diligenti peregrinatione, partim ut *Græcos* libros (sic enim à *Francisco* I. jussus erat) undique colligeret, partim ut multorum locorum positum describeret, mortuo eo, diu vagatus, tandem in familiam munificentissimi literarum Patroni *Georgii Ar-*

meniaci Card. tanquam in tutiſſimum portum ſe contulit. Scripta ejus ne perirent, ejuſdem in clientem amor, & propenſum ad rem literariam juvandam ſtudium prohibuit: qui partem majorem eorum in *Galliam* adferri juſſit, & publicanda curavit.

M. D. LVI.

Joannes Sleidanus: Vir eruditione & rerum agendarum peritia hoc ſeculo clarus. *Argentinenſi* reip. ſuam operam addixit: in eâque urbe tot rerum quas geſſerat aut à fide dignis acceperat, notitiâ fretus, *Commentaries* ſcribere aggreſſus eſt. Quos huc illuc uſque exacta fide & diligentiâ ad hunc annum pertexuit.

Joannes Forſterus. Vir linguæ *Hebraicæ* ſcientia clarus, quam & ſcriptis inculentis illuſtravit.

Sebaſtianus Corradus, *Bononia* primarius linguæ Latinæ ac Græcæ profeſſor, olim *Baptiſtæ Egnatio* operam navaverat, ejuſque præceptis inſtructus maxime *Ciceronem* illuſtravit, & apud doctos præcipuum meritò nomen adeptus eſt.

Joannes Gelida. Qui cum ſub barbaris doctoribus apud ſuos [*Hiſpanos*] Philoſophiæ

ſophiæ operam dediſſet, *Lutetiam* jam famoſum toto orbe literarum Emporium venit. Ubi *Sophiſtices* illius & inutilium quæſtionum, quæ ex ea naſcuntur, pertæſus, longe diverſam ſtudiorum rationem (quo erat ingenio acri & acuto) ſibi mox ineundam ſenſit; & *Jacobi Fabri Stapulenſis*, literis renaſcentibus facem præferentis, doctrinâ ac præceptis melius inſtructus, etiam utriuſque linguæ puriorem cognitionem jam grandior natu percepit, & animum ad *Ariſtotelem* ſuum illuſtrandum adjecit. Quem & magna auditorum frequentia in *Cardinalitia Schola* interpretatus eſt.

M. D. LVII.

Joan. Baptiſta Ramuſius, ut linguæ Græcæ Latinæque ac ſcientiarum omnium peritiſſimus, ſic negotiis gerendis exercitiſſimus. Hujus diligentiæ debemus collecta ac digeſta variarum *Navigationum* volumina: quas & *Præfationibus* doctiſſimis interdum illuſtravit; & inprimis Philoſophicâ *de Nili incremento* ad *Fracaſtorium* (ob ſtudiorum ſimilitudinem conjunctiſſimum amicum) diſceptatione, à veteribus

pleriſque agitatâ, & paucis hodie intellecta. Scripſit præterea ſed imperfectum reliquit, *De Fluxu & Refluxu maris* tractatum, materiam multis tentatum, ſed in qua nemo adhuc fecit ſatis.

Nicolaus Tartalea, inſignis de *Numeris & Menſuris* in VI. partes diſtributo Opere, & aliis ad *Euclidem* ſcriptis editis clarus.

Petrus Nannius, *Lovanii* diu in *Buſlidiana* Schola Græcam Latinamque linguam magna eruditionis non vulgaris laude profeſſus, multis ingenii ſui editis monumentis, quibus rem literariam multum promovit. Huic in munere ſuffectus *Cornelius Valerius* magna ingenii & elegantis in omni ſcientiarum genere doctrinæ laude *flornit*, uſque ad annum hujus ſeculi LXXVIII.

Salmonius Macrinus. Poeticæ ſtudium apud nos ante ipſum fere neglectum coluit. *Lyricis* potiſſimum excelluit. Ex *Lyricis* autem illis præcipue laudantur, quæ cælibis vitæ pertæſus, cùm de uxore ducenda cogitaret, in *Gelonidis* ſuæ caſtiſſimos amores luſit.

Angelus Caninius. Vir *Linguarum* non ſolum Græcæ & Hebraicæ, ſed Syriacæ & aliarum *Orientalium* rara & exquiſita cognitione inſignis, iis perdocendis diu in *Italia*,

Italia, Venetiis, Patavii, Bononiæ, Romæ, atque in *Hiſpania* vagus.

M. D. LVIII.

Joan. Bugenhagius, moderato ingenio & eruditione rara excultus.

Joan. Fernelius, Regis Archiatros. Qui cum plures annos in Philoſophicis ac Mathematicis ſtudiis ſumma cum laude exegiſſet, demum ſe *Medicinæ* totum mancipavit: quam & feliciter fecit, & univerſam doctiſſimis & politiſſimis ſcriptis complexus eſt. Quæ etſi morte præventus non edidit omnia, (ut nec propriarum *Obſervationum* deſideratiſſimos libros) tantum tamen veræ gloriæ iis, quæ publicata ſunt, Europâ totâ eſt adeptus, ut tanto viro diſciplinæ ſuæ alumno Schola Medicinæ *Pariſienſis* æternum ſit jure gloriatura.

Janus Cornarius, Medicus inſignis, qui pleriſque antiquorum Philoſophorum, Medicorum, ac Theologorum ſcriptis *Græcis* editis, ac latio donatis à ſtudioſis non mediocrem inivit gratiam.

Jacobus Micyllus, diu humaniores literas *Heidelbergæ* ſecunda fama profeſſus eſt, & ſcriptis variis illuſtravit.

Joannes Pena, rarâ Mathematicarum Artium cognitione insignis, quarum amorem & gustum *P. Ramo* (dum in *Prelæa* Schola Lutetiæ docerent) instillaverat, multis *Euclidæ* non ante visis monumentis evulgatis, & Latinitate donatis & explicatis, atque *Catoptricis* præcipue: in quorum præfatione *de usu Cylindrici speculi* multa dictu vix credibilia, & quæ plerosque in errorem superstitiosos induxerunt, doctissime demonstrat.

Romulus Amasæus, *Bononia* diu literas Græcas Latinasque magna cum laude professus est. Sub *Julio* III. P. principem locum inter literatos in illa Aula tenuit. Quam laudem multis scriptis editis testatam reliquit, & *Pompilio* F. moriens quasi jure hæreditario transcripsit.

Julius Cæsar Scaliger. Vir quo superiorem antiquitas vix habuit, parem certe hæc ætas non vidit. Nam ut nobilitatem omittam, (de qua inter omnes constat) ingenio, animi & corporis robore simul omnes æquales suos facile superavit. Primâ adolescentiâ *militaribus* muniis obeundis maxima cum fortitudinis ac solertiæ laude decursâ, & quamvis sero ad *studia* applicato animo, tamen ingenii fœlicitate tantum profecit, ut ad exactissimam omnium *Philosophiæ* partium scientiam, etiam linguarum

guarum *Græca* præſertim ac *Latina* ſummam peritiam addiderit, atque in iiſdem uſum, ſive pedeſtri ſive numeris aſtricta oratione ſcriberet, quo in utroque genere excelluit. *Joſephus Juſtus Scaliger* ſecundum patrem inter literatos & in re literaria principem ſine controverſia locum tenet, vere *Eruditorum Phœbus*, ut politiſſimi ingenii vir eum indigetavit.

Aloiſius Lipomanus, vitæ integritate & eruditione præſtans; qui variis legationibus ſumma prudentiæ laude defunctus, literarum ſtudium & ſcribendi diligentiam non intermiſit; *Catena* laborioſiſſima *in Geneſin & Exodum & Pſalmos* inter occupationes illas elucubrata.

Andreas Tiraquellus, cùm vario literarum genere exercitus, tùm celeberrimus noſtra ætate *Juriſc.* eaque ſola commendatione in *Burdigalenſem* Senatum, dein in *Pariſienſem* cooptatus. Ubi magna cum laude conſenuit, æque ingenii ut corporis numeroſa fœcundus prole: cum ſingulis annis ſingulos libros ac liberos Reipub. daret; magno non ſolum in præſens patriæ ſuæ ornamento, ſed ad ſempiternam *Galliæ* gloriam.

Joannes Vergara, qui (cum *Franciſco* fratre Græce Latineque doctiſſimo) egre-

giam operam in *Complutenſi* Bibliorum editione navavit.

M. D. LIX.

Franciſcus Duarenus, Juris ſcientia, ſecundum *Andream Alciatum*, ſua ætate clariſſimus: ad quam & politioris literaturæ, & exactam antiquitatis cognitionem à Magiſtro ſuo edoctus adjunxit. *Duareni* nunc opera in magno pretio, uti debent, apud doctos habentur. Sed ſcriptis illius accidit, ut *prælectiones* ex ore recitantis in Schola perperam plerunque ab auditoribus exceptæ, quæque non eo conſilio fiebant ut ederentur, poſt ipſius mortem reliquis ejuſdem operibus, quæ vivus publicaverat, *nullo delectu* admiſtæ ſint: in quo inſignis doctiſſimi viri manibus injuria facta eſt.

Æmarus Rancpetus, Qui *Duareno* ipſi ad multa in jure adinvenienda facem prætulit. Vir omni politioris literaturæ, & antiquitatis ſeu profanæ ſeu ſacræ, ac ſcientiarum genere excellens, nec ſine miraculo dicendus; quippe qui unus ſimul omnia exacte habuerit, quæ ſingula ſingulos poſteritati commendare potuerunt. Nihil fere ſcripſit, ſed uberem ſcribendi

aliis

aliis materiam præbuit, copiosa & omni *librorum* tam editorum quam MSS. ab ipso summa diligentia *annotatorum* supellectile relicta: unde doctissimi hujus ætatis viri laudato plerumque auctore, aliquando etiam suppresso, multa & ad suum decus & in publicum valde utilia hauserunt.

Joachimus Perionius. Is cum *Aristotelem*, hactenus à *Joanne Argyropylo* fideliter potiùs quam ornate versum, auribus Latinis proponendum statuisset, dum elegantioris styli potiùs quam veri rationem plerunque *Ciceroni* suo addictus habet, in contrariam ab *Argyropylo* reprehensionem incidit. Multa & *Perionius* ex *Patribus Græcis* pari elegantia in Latinam linguam transtulit, & lucubrationes plurimas alias, quæ in manibus hominum habentur, publico dedit; quibus nominis famam satis inter sui ævi homines claram ad posteritatem propagavit.

Robertus Stephanus, *Parisiensis* Typographus Regius, secundum *Aldum Manutium* Romanum, qui Venetiis, & *Joan. Frobennium*, qui Basileæ eandem artem summa laude exercuerunt, clarissimus: quos ille longo spatio supergressus est, acri judicio, diligentia accurata, & artis ipsius elegantia. Cui ob id non solum Gallia, sed universus Christianus orbis

plus

plus debet, quam cuiquam fortissimorum belli ducum ob propagatos fines patria unquam debuit; majusque ex ejus unius industria, quam ex tot præclarè bello & pace gestis ad *Franciscum* decus & nunquam interitura gloria redundavit. *Henricus* tanto patre dignissimus filius Typographicam non solum postea exercuit, sed multa ad juvandam rem literariam propriâ industria contulit; inter alia edito, æmulatione patris, qui *lingua Latina pomum* olim condiderat, *lingua Græca* copiosissimo & multorum principum gazis præferendo *Thesauro*.

Jo. Baptista Folengius, Benedictinus. Vir insigni pietate & charitate præditus, & *moribus* ut *scriptis* politissimis; quæ neminem legisse unquam pœnitebit.

Jacobus Milichius, Philosophiæ ac Medicinæ studiis clarus, *suavitate* item morum, quam oris specie præferebat, omnibus acceptus.

M. D. LX.

JOannes *Bellaius*, & pace & bello clarus. Nam à puero literis fœliciter institutus ita ut & scite *Latine* scribere, & *versus* elegantes ac generosi spiritûs plenos,

(qui

(quales hodie in manibus doctorum habentur) pangere sciret; inde non tam fortunæ beneficio, quam merito suo à *Francisco* maximis negotiis tractandis statim adhibitus, plurimas legationes summa cum prudentiæ ac præcipuæ fidei laude obivit; etiam ejusdem commendatione in *Cardinalium* Collegium cooptatus, *Ecclesiæ emendationi* semper in vita verè & ex animo studuit.

Joachimus Bellaius. Hujus Gentilis, in dispari fortuna, cæterum ingenio illustri familia digno, (quod in *Poetica* præcipuè exercuit) non illi inficiandus. *Tristia*, quæ ille, cum in familia agnati Cardinalis Romæ esset, fecit; *Ludi* item rustici, & alia ad *Margaritam* Collectanea præcipue laudantur. In *Latinis*, quæ itidem Romæ fecit, minus felix fuit.

Lælius Capilupus. Qui tanta felicitate *Maronis* conterranei sui versibus detorta significatione lusit, ut *Ausonii* & *Probæ Falconiæ*, atque aliorum, (qui in simili argumento se exercuerant) laudem prorsus obscuraverit, in longe diversa à *Virgilii* mente materia versatus.

Ja. Bonfadius, soluto pedestrique scribendi genere in sua Latinaque lingua clarus. Sed tantas dotes diversi mores corruperunt.

Loisa

Loisa Sigea, linguæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, ad miraculum in hoc sexu perita, ob idque in Aulam Reginæ *Lusitaniæ* adscita: ubi & non modicas opes ex regali munificentia sibi paravit, & *Angelam* sororem paribus ingenii dotibus excultam habuit.

Philippus Melanchthon. Joan. Reuchlinus vir suæ ætate doctissimus *Philippi* nomen, quod habebat ille familiæ significans *solum nigrum* Germanico sono in Græcam *Melanchthonis* mutavit (sicuti suum à *fumo* diminutum ab *Hermolao Barbaro* olim in Italia in *Capnionem* conversum meminerat.) Postea exortis in Germania propter Religionem turbis, perpetuus *M. Lutheri* assecla. Longe diversum tamen à Doctore suo ingenium ad eam causam attulit. Nam cum omni ope anniteretur, ut doctrina, quam tradebat, esset *perspicua*, & ambigua explicarentur, in eo summa alioqui erat altercationum ac rixarum fuga, & maximum tranquillitatis ac quietis studium, ut nisi *de necessariis* contendendum minime putaret: nam posse conniveri ad nonnulla, ferri denique multa debere. Qua animi moderatione & æquitate, quanquam exacerbatis tunc temporis summopere animis, maximorum tamen virorum opinione

dissiden-

diffidentium amicitiam ac benevolentiam meruit.

Georgius Sabinus, Poeta inter Germanos non exigui nominis.

Petrus Lotichius Secundus, omnium, qui ſecundum *Eobanum Heſſum* in Germania Poeticam attigerunt, præſtantiſſimus. Hujus *Poemata* fidem apud poſteritatem factura, quid ab illo expectari debuerit ſi longiorem ei vitam Deus annuiſſet.

Nicolaus Gerbelius, vir optimus, & pariter doctrina ac ſuavitate morum excellens, qui *Juris* ſcientiam olim profeſſus, ſumma ſtudiorum conſenſione cum *Jo. Cuſpiniano* viro ſua ætate doctiſſimo vixerat.

Joannes Driander, Medicinæ & Mathematicarum Artium profeſſor eximius, quas & doctiſſimis ſcriptis illuſtravit, & in *Aſtronomicis* multa adinvenit, (novis *Inſtrumentis* fabricatis) aut ab aliis inventa fecit meliora.

M. D. LXI.

Gabriel Faernus, politioris literaturæ ſtudia excoluit, & exacta in ſcriptis veterum ad *Codices MSS.* examinandis dili-

diligentia ac solertia excelluit. Quod quædam *Ciceronis* post obitum ejus publicatas & *Terentius* inprimis posteris testabuntur. Non mediocrem etiam à studiosis gratiam promeritus, *Fabellis Æsopicis* vario carminum genere expressis, majorem inturus, si *Phædri* (cujus sive imitatione sive æmulatione luserat) nomen aut non dissimulasset, aut scripta, quæ legerat & penes se habebat, non suppressisset.

Arnoldus Arlenius. Qui, quantam *Gabrielis Faerni* in Latinis scriptoribus castigandis solertiam, tantam in *Græcis* adhibuit. Huic vel editione *Josephi* Græca multum posteritas semper debitura est. Quam ille ex optimo exemplari publico dedit, adjectis etiam libris contra *Appionem*, qui nusquam alibi reperiuntur.

Melchior Valmarius. Qui *Lutetiæ* bonis literis sub *Jacobo Fabro Stapulensi* imbutus, *Avarici Biturigum* utramque linguam magna cum laude professus est; ubi & Jurisprudentiæ sub *Andreâ Alciato* operam dedit: inde *Tubingam* evocatus, diu in ea Schola *Jus & Græcos auctores* interpretatus est.

M. D. LXII.

M. D. LXII.

Petrus Martyr, ingenio & eruditione *inter ſuos* præſtans, varia fortuna ac diverſis peregrinationibus tota vita jactatus.

Jacobus Hollerius, Philoſophiæ & *Medicinæ* ſtudiis cumprimis clarus. Ad quam homo dives, & quæſtui minus intentus acerrimum judicium attulit, ut *deploratos morbos* ſumma fœlicitate curaverit. Scribendo etiam magnam temporis partem impendit, ſed in morbum *ex mœrore publico* contractum incidens, extremam manum illis immortalitate digniſſimis ſcriptis imponere non potuit: quæ aut à plagiariis ſuppreſſa, aut poſtea, ſed *incurioſe*, edita ſunt, magno famæ tanti viri, ſed majore Reip. diſpendio.

Gabriel Fallopius, cùm Philoſophiæ ac cæterarum doctrinarum, tum rei *Anatomicæ* imprimis variis Obſervationibus locupletatæ, atque adeo *utriuſque Medicinæ* laude ornatiſſimus: quam & doctiſſimis ſcriptis illuſtravit.

Baſſianus Landus, in Patavina Academia profeſſor, cujus exſtat *de antiquis Imaginibus* Commentarius.

Bartholomæus

Bartholomæus Cavalcantius, à puero egregia optimarum scientiarum cognitione instructus. Magna negotia summa cum prudentiæ & integritatis laude gessit. Præcipua ingenii sui reliquit monumenta, *De Rhetorica libros* VII. & *De optimo Reip. statu* Commentarium, quem *Fr. Sansovinus* auctori posthumum publicavit.

M. D. LXIII.

Joannes Brodæus, in *Italia*, ad puriores literas, Philosophiæ, Mathematicarum artium ac sacræ linguæ non mediocrem cognitionem adjecerat: dein in patriam reversus quietæ vitæ sed non otiosæ se dedidit: quod multæ *recondite eruditionis lucubrationes* abunde testantur, quas vir bonus procul ab omni ambitione ac ostentatione positus alienis potiùs quàm suis auspiciis publicari passus est; eo rariore modestiæ exemplo, quòd nostro seculo homines non solum ex opibus, Magistratibus & aliis honoribus, sed etiam ex literis indigna vanitate gloriolam aucupantur.

Stephanus Boetianus, admirando vir ingenio & multiplici eruditione cum exquisita facundia conjuncta insignis; quam ad

Civilem

Civilem ſcientiam fere inflexerat: rara & ſupra ætatem prudentia rebus maximis gerendis par *Michaëlis Montani* ſingularis ejus amici curâ factum eſt, ut non omnis mortuus ſit, publicatis aliquot ſcriptis poſthumis, quæ elegantiam miram & ſenſuum reconditorum acumen ſapiunt.

Arnoldus Ferronus. Qui *patrias Leges* (ut bonum civem & præſtantiſſimum Juriſc. decuit) doctiſſimis ſcriptis illuſtravit; & *Hiſtoriam Gallicam* ſecundum *Paulum Æmilium* ad exceſſum *Franciſci* I. proſecutus eſt, multaque alia ſcripſit, quæ memoriam ejus apud poſteros commendant.

Jo. Baptiſta Gellus, conditione longe ingenio inferiore, quippe *calcearius*, qui licet nullis literis Latinis tinctus, Academiæ *Florentinæ* alter conditor & magnum ornamentum extitit: & lingua patria *Dialogos Luciani* æmulatione, ſed majore prudentia & moderatione ſcripſit.

Wolfangus Muſculus, ex eadem pœne *officina* prodiit, magni inter ſuos nominis *Theologus*, qui Monaſticam olim, dein abjecto cucullo Proteſtantium doctrinam profeſſus, vitam aliquando opere manuario *textrinam* exercens toleravit, poſtea ſeriò animum ad literas jam ætate pro-

vectior appulit: in quibus improbo labore tantùm profecit, *Martini Buceri* (quantum licuit) sectator assiduus, ut famam conciombus quæsitam, etiam laboriosissimis editis in S. Scripturam *Commentariis* auxerit. Quem ad nomen ipsius audens *alludens* quidam, non *Musculum*, aut ex murium famelicorum, qui felium ungues timent, numero esse dixit; sed ex his potius, qui *catos* rapaces territarent.

Henricus Glareanus, summus olim *Des. Erasmi* amicus, & *Musices* scientia clarus, rem literariam diu voce & scriptis (quantum ea tempora ferebant) juvit.

Sebastianus Castalio. Qui cùm puriorem linguarum cognitionem ad *Theologicam* scientiam adjunxisse se putaret, impuras manus (multorum judicio) ad sacra tractanda attulit: cum à rebus ad tantum opus necessariis homo *imparatissimus* novam *Bibliorum* interpretationem insolenti temeritate molitus est.

M. D. LXIV.

Joannes Calvinus, acri vir ac vehementi ingenio, & *admirabili facundia* præditus, tum inter Protestantes magni nominis

nis Theologus, septennium integrum variis morbis ac cruciatibus conflictatus, nec minus propterea in munere suo *assiduus*, aut à continua scriptione abstinebat.

Martinus Bertrus, vir doctissimus, & præter *Theologica* alias etiam scriptis editis clarus.

Theodorus Bibliander, vir multijugæ eruditionis, qui novæ *Bibliorum* editioni An. MDXLIII. *Tiguri* publicatæ (quam *Leo Judæ* inchoaverat) ultimam manum imposuit. Quam translationem in sua editione biennio post ad veterem adjecit *Robertus Stephanus*, suppressa eorum, qui in illa laborarunt mentione.

Petrus Franciscus Jambularius, homo sacris addictus, Latinis, Græcis & Hebraicis literis eruditus, multa ad linguæ *Etruscæ* illustrationem conscripsit, & noviſſimæ antiquitatis *Historias Italicas* ad An. S. MCC. pertexuit.

Andreas Vesalius, præstantissimus Medicus, & opere *de Fabrica humani corporis* edito clarissimus.

Gulielmus Morellius. Is propria industria & in aliena juvanda rei literariæ sedulam quamdiu vixit operam navavit. Integrum novennium edendis innumeris libris, ac præcipue *Græcis*, consumsit: ac tandem eleganti admodum *Demosthenis* editione

adornata, laboribus confectus *Lutetiæ* defecit.

Joannes Buteo, vir ad literarum ac ſcientiarum *Mathematicarum* præcipue ſtudia natus, multa ſcripſit, partim (dum viveret) publicata, partim ab opicis furibus ſuppreſſa: multa itidem adinvenit, imprimis in *Muſicis Inſtrumentis* & *Machinis* novis fabricandis ingenioſus. Cujuſmodi compluria induſtriæ ſuæ monumenta vir ab omni ambitione alienus (qui à labore & meditatione nunquam ceſſaret) totâ vitâ edidit.

Michael Angelus Bonarota, noſtrâ ætate atque adeo poſt priſcos Græcos *Picturæ*, *Statuariæ*, & *Architecturæ* præſtantiſſimus artifex: cujus nomine ut paſſim orbis perſonat; ſic pleriſque locis, ſed *Romæ* & *Florentiæ* præcipue, ſtupendi operis monumenta ejus viſuntur.

M. D. LXV.

Alexander Aleſius, *Scotus*, magni inter ſuos nominis *Theologus*.

Joan. Matheſius. Qui in valle *Joachimica* diu docuit, regione metallis fœta; & ex ea occaſione *De Foſſilium natura* multa lingua Germanica ſcripſit.

Jo.

Jo. Langius, Medicinæ artis præſtantiſſimus, quam & doctiſſimis ſcriptis illuſtravit.

Conradus Geſnerus. Cujus mors omnibus ſeculis deploranda. Vir longiſſima vita digniſſimus: & quam exegiſſe videbitur iis, qui ætatem ejus ex librorum (quos plurimos ac utiliſſimos confecit, induſtria ſua illuſtravit & edidit) non ex annorum (quos vixit) numero metientur. *Philoſophia* eam præcipuè partem, quæ *Hiſtoriam naturalem* ſpectat, copioſiſſimis ſcriptis explicavit: antiquorum quoque complura monumenta, præcipue *Theologorum*, primus in lucem edidit. Mortuum laudavit *Joſias Simlerus*, & elegantiſſimo carmine *Theodorus Beza*, quo inter alia *Naturam* eum tanquam fidum ſuorum ſacrorum antiſtitem plorare dicit, mutam deinceps futuram, niſi ipſe mortuus loquatur.

Hadrianus Turnebus, maximum hujus ætatis ornamentum. Vir omni virtutum omniumque literarum genere inſtructiſſimus: qui politioris initio literaturæ *Græcæ* ac *Latinæ*, dein *Philoſophiæ* in Schola *Pariſienſi* profeſſor regius, plurima raræ eruditionis monumenta edidit, & præmatura tandem morte ſtatim poſt edita illa æternitate digna *Adverſaria*, ſumma omnium

nium ordinum (ad quos universos unius mors pertinere visa est) mœstitia, rebus humanis exemtus est.

Antonius Goveanus, tanta felicitate in humanioribus studiis ingenium exercuit, ut nemo purius *Latinè* scriberet, nemo *versus* elegantiùs pangeret. In Philosophia vero *Aristotelica* tantum profecit, ut ejus patrocinium jam tum in illa juvenili ætate contra *Petrum Ramum* ejus importunum oppugnatorem magna cum laude susceperit. Postea in *Juris* professione tantos progressus fecit, ut *Ja. Cujacius* testatum reliquerit, *Goveanum* ex omnibus *Juris Justiniani* Interpretibus, quotquot sint aut fuere, unum esse, cui, si quæratur quis excellat, palma deferenda sit.

Gulielmus Philander. Scripta egregia, quæ in *Vitruvium* publicavit, satis plenam fidem apud omnes faciunt, qualis is quantusque fuerit, & quid denique in *antiquitate Romana* & politiore literatura illustranda (quæ tunc primum extolli incipiebat) tum in omni scientiarum genere, & in *Mathematicis* præcipue præstare potuerit, si non aliam à pristina diligentia & sobrietate vivendi rationem postea instituisset.

Kyriacus Strozza, Aristotelem XX. annos *Pisis* interpretatus est, cum VIII. annis

antè

antè *Bononiæ* professus esset. Libris *Politicorum* VIII. qui extant, nonum & decimum Græca lingua conscriptos adjecit: quibus tanti viri stylum & mentem exprimere conatus est. Libros etiam *de prima Philosophia* ex Arabum Commentariis supplevit.

Joan. Grollierius. Is cum ab adolescentia literarum gustum & incredibilem amorem hausisset, in eo juvenili æstu arctissimam cum *Gul. Budæo* jam sene amicitiam coluit, & admirandum ejus *de Asse* opus Venetiis ab Aldo Manutio excudendum curavit anno hujus seculi XXII. tantumque obvia in literatos humanitate homo *Gallus* in *Italia* meruit, ut quo quisque doctissimus tunc erat, ita in ejus benevolentiam se insinuare approperaret. Insignem numorum antiquorum, & optimæ notæ librorum supellectilem comparatam, nullis sumtibus parcens, vir munditiæ & elegantiæ in omni vita assuetus, pari elegantia ac munditia ornatos ac dispositos domi tam curiose asservabat, ut ejus *Bibliotheca* cum Bibliotheca *Asinii Pollionis* (quæ prima *Romæ* instituta est) componi meruerit. Tantaque copia librorum fuit, ut post tot ejus in amicos largitiones, tot varios casus, quibus illi jactati ac male habiti sunt, instructiores Bibliothecæ, quæ hodie *Lutetiæ*

& aliis regni locis visuntur, non alio majore, quam à *Grollerianis* libris ornamento commendentur.

M. D. LXVI.

Joannes Draconites, cœpto *Bibliorum*, æmulatione *Origenis* & alterius *Complutensis* editionis, quintuplici nec perfecto opere clarus.

Leonardus Fuchsius. Qui summa cum laude *Medicinam* fecit, & publicata *stirpium Historia* magnam laudem adeptus est.

M. Hieronymus Vida. Qui primus inter Italos post *Jac. Sanazarium* Poeticam ad res sacras transtulit: & versibus elegantissimis ac purissimis provinciam suam excoluit.

Benedictus Varchius. Cujus quæ soluta & numerosa oratione *Etruscè* scripsit, merito inter doctos magno in precio habentur.

Aloysius Cornarus. Infirmitates ex intemperantia in adolescentia contractas *sobrietate* & victus moderatione emendavit; & propensionem ad iram subitam rationis vi temperavit: ut quam infirma valetudine & ira impotenti in florenti ætate fuerat,

rat, tam prospera corporis constitutione & miti natura in senectute fuerit. Qua de re & *libros* conscripsit, jam senectutem ingressus, quibus prioris vitæ confusæ & postea emendatæ rationes explicat, & sibi longissimam vitam pollicetur. Nec spe sua falsus est, nam *centenario* major placida & sine doloris sensu morte decessit.

Carolus Molinæus, *Juris* antiqui & *Gallici* consultissimus: cujus *Notæ* in Jus consuetudinarium nostrum, ac aliæ doctissimæ lucubrationes apud nos pro ratis juris decisionibus habentur. *Consultationem in Concilium Tridentinum* scripsit, quæ & illi perniciem creavit. Vir bonus ac simplex, qui patriæ charitate, supra quam dici potest, inflammabatur, cum *emendationem in religione*, quam tantopere optabat, in licentiam & factiones versam videret, admodum indoluit; ac, si vita suppeteret, religiose promisit, fore ut exemplo suo scriptisque multos ab errore passim grassante revocaret: in eaque cogitatione paulo post animam Deo reddidit, sexagenario major.

Gul. Rondeletius. Unum est quod hominis nomen maxime posteritati commendavit, quod *De Piscibus* edidit, sed & minore laude, quod illud potius alienæ industriæ quàm suæ debuit; nimirum, ex

Gul.

Gul. Pellicerii Episcopi Montispessulani, viri rara eruditione ornati, Commentariis concinnatum.

Georgius Cassander. Vir utriusque linguæ peritia, & antiquitatis cognitione, ac rerum postremo sacrarum diligenti scrutatione præcellens: rarâ hoc ævo modestia: & iis qui ingenium in contentionibus hodie exercent, ad vitandam acerbitatem in exemplum proponendus. Nam tot dotibus instructus, ille nunquam fastu intumuit; contumeliis petitus nunquam paria reddidit, nullumque ullius arrogantiæ ferocis vestigium, vel in moribus, vel in scriptis ejus deprehensum fuit. Post *Consultationem*, de controversis Protestantium Articulis, jussu *Ferdinandi Cæsaris* scriptam, & ad *Maximilianum* missam, arthritidis doloribus confectus pie defecit.

Lucas Fruterius. Is in puriore literatura cum excelleret, etiam multa commentatus esset, properata morte præpeditus, omnia ea *Oberti Gifanii* judicio ac fidei commisit: qui pari fide minime iis usus creditur, vixque lite *Jano Dousa* motâ exorari potuit, ut paucula (quæ ex tanta jactura, velut ex magno naufragio exiguæ tabulæ) superant, sint publicata.

Petrus Joannes Perpinianus. Qui mira ad eloquentiam indole fuit, & summa illa lumina

lumina *M. Ant. Muretum*, & *P. Manutium* in ſui admirationem traxit. Præmatura morte obiit, magno ſui relicto ſtudioſis deſiderio.

M. D. LXVII.

Michael Stifelius. Cujus libri *Arithmetici* reconditiore numerorum ſcientia referti in magno (uti debent) pretio inter doctos habentur.

Joannis Langus, vel fideli *Nicephori* Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ tranſlatione ad poſteritatem commendandus: quam ex veteri pulcherrimoque ac tota Europa unico exemplari *Ferdinandi Cæſaris* juſſu fecit. Quod vix tandem ac diu poſt mea cura ac diligentia, ne periret, commodatum hîc apud nos ſua lingua excudetur.

Franciſcus Robortellus. Qui magno cum ſtrepitu *Bononiæ* & *Patavii* profeſſus, & variis ſcriptis majorem de ſe opinionem excitavit quam implevit, cum *Carolo Sigonio*, ſed impari certamine, ſæpius & acerbius digladiatus.

Octavianus Pantagathus. Qui & *Pacatus* dici voluit. Vir antiqua probitate, & omnis antiquitatis ac literaturæ apprimè gnarus. Ad quem, cum omnium, qui literas

teras in urbe profitebantur, concurſus fieret, ſicuti olim Juriſconſulti in circulis, ſic ipſe domi de re literaria interrogatus reſpondebat, ita ut illi ab ejus Colloquiis ſemper eruditiores diſcederent. Ipſe præter literas, etiam officiis adeo in cunctos propenſus fuit, ut vulgo *Patris* cognomine in urbe coleretur.

Paulus Leopardus, Græcæ Latinæque linguæ doctiſſimus: quas poſt mortem ejus edito *Emendationum* Opere non parum pro tempore juvit: quarum prior *Decas* ſtatim edita, altera diu ſuppreſſa tandem paucis abhinc annis à *Jano Grutero* cum aliis publicata eſt.

M. D. LXVIII.

Eraſmus Argentinenſis, vir pietate & eruditione prædicandus; dum vixit, pacis (quam & religioſiſſime coluit) ſtudioſus: ut qui *concordiam Eccleſiæ ex Patrum auctoritate*, abjectis quæ prava conſuetudine irrepſerant, ſarciendam cenſebat.

Jo. Oporinus, induſtria ac diligentia ſua literariam rem multum promovit, editis ſumma *Characterum* elegantia innumeris veterum ac recentium monumentis, ob

idque

idque de ſuo & poſtero ſeculo optimè meritus: eoque magis, quòd dum in utilitatem publicam totis animi & corporis viribus incumbit, res privatas, quas admodum confuſas reliquit, ita contemſit, ut plus de gloria, quam de hereditate ſua cogitaſſe videatur.

Onufrius Panninus. Vir ad omnes & *Romanas & Eccleſiaſticas antiquitates* è tenebris eruendas natus, quod præclara ejus & ad omnem æternitatem victura monumenta teſtantur.

Franciſcus Luiſinus, politiori literatura & vitæ integritate inſignis, immatura morte, cum plura ab *uberi* ejus *ingenio* ſibi quiſque polliceretur, ereptus.

Gul. Gratarolus, Artis *Medicæ* peritia clarus: quam & ſcriptis pereruditis illuſtravit.

Rogerius Aſchamus, *Elizabethæ* à Latinis Epiſtolis, ab *Edvardo Granta* laudatus, qui & *Epiſtolas* ejus elegantiſſimè ſcriptas publicavit.

M. D. LXIX.

VIctorinus *Strigelius*, magni nominis inter ſuos *Theologus*,

Joannes

Joannes Lonicerus, tantum assiduo labore in trium linguarum cognitione & Philosophicis studiis profecit, ut *Marpurgum* evocaretur: ubi literas Græcas diu magna auditorum frequentia ac fructu professus est, præter doctrinam, verecundiæ, sobrietatis ac modestiæ laude conspicuus. Multa *Græcorum* scripta Latinitate donavit.

Daniel Barbarus, *Venetâ* Nobilitatis præclarum lumen, ex eadem familia, quæ *Hermolaum* (veræ Philosophiæ & literarum meliorum in Italia instauratorem) olim dedit, prognatus, Philosophiæ & Mathematicarum Artium exquisita scientia præstans, atque adeo eadem (qua ille) dignitate ornatus, h. e. *Patriarcha Aquileiensis* designatus. Multa is scripsit, ac præcipuè *Pollionis Vitruvii* de Architectura libros doctissimis post *Gul. Philandrum* Commentariis illustravit. Dicere solebat, nisi Christianus esset, se in Aristotelis verba juraturum fuisse: adeo in rerum veritate pervestiganda, eâque in singulis naturæ partibus recto rationis ductu, quantum & suprà quàm humanus captus fert, persequenda fœliciſſimum illius ingenium admirabatur.

Sixtus Senensis. Vir eruditæ diligentiæ: qui à *Pio* V. è tenebris errorum

rum (ut ipse dicere solebat) & quasi ab inferis revocatus, sacræ militiæ nomen dedit, & insigni opere lib. VIII. distincto (quo *sacrorum librorum censuram* fecit) gratum animum erga ipsum testatus est.

Calius Secundus Curio, homo omni literarum genere non mediocriter expolitus: qui (eruditionis suæ famâ sparsâ) *Basileæ* Philosophiæ & eloquentiæ studia publice per XXIII. annos professus est.

Baptista Menilius. Is in Foro *Parisi.* caussis privatorum agendis summa diligentiæ, fidei & industriæ fama primum versatus, majori laude, postquam *Fisci Patronus* à Rege creatus erat, magistratum gessit: cùm ad eam dignitatem præter eruditionem & exactum rerum Forensium usum, infractam animi constantiam, generosos citra vanitatem spiritus, & perpetuum in æquali vitæ tenore amorem recti, & publici boni studium attulisset. Adhæc, tanto ingenii acumine ac luce excellebat, ut cum jus publicè diceretur, quæ multis horis ac verbis Advocati partium perplexe disseruerant, ille uno verbo expediret, tanta æquitatis apud *Judices* opinione, ut vocem perorantis mox decretum sequeretur, & ipse quodammodo *Præsidi* verbis

præire

præire videretur. Obſervatum à Curioſis, nunquam ferè *Senatum* ab ejus ſententia ſeu rogatione diſceſſiſſe.

M. D. LXX.

Joan. Brentius, magni nominis inter ſuos *Theologus*, diuque ob id varia fortuna jactatus.

Joan. Tilius. Qui cura, diligentia, & ſumma in ſuo munere aſſiduitate non ſolum ingentes opes, ſed veram gloriam (& qua majorem nemo noſtrorum antè meruit) exacta *Juris* noſtri & *Franco-Gallica* omnis antiquitatis cognitione ſibi comparavit.

Frater ejus natu minor ſacris addictus, à puero literis inſtructior, ad rerum noſtrarum (qua *Joannes* excelluit) peritiam, etiam linguarum, *Juris* priſci Rom. & Eccleſiaſticæ *antiquitatis* exactam cognitionem adjunxit, perluſtratis *Franciſci* I. permiſſu Cœnobiorum ac aliorum locorum toto regno celebrium (cum adhuc integræ eſſent) *Bibliothecis*.

Jacobus Grevinus, ingenio & rara eruditione præſtans: qui cum à pueritia induſtriam in *Poetica* fœliciſſime exercuiſſet (quod

(quod *Gelodacrys*, & alia edita, cum raris illius ævi Poetis comparanda, & æternum victura ad posteritatem testantur) ad *Medicinæ* studium animum appulit, in qua pari felicitate ingenium exercuit. *Nicandrum* elegantissime à *Joan. Gorræo* Latinum factum. Gallicis versibus non cedente Græcis Latinisque elegantia reddidit; & *de Venenis* Commentarium Gallice itidem scriptum adjecit: multa insuper commentatus est, quæ morte præcipitata *ultimam manum* non receperunt.

Joannes Marcerus. Is, cum primò *Jurisprudentiæ* operam dedisset, & utriusque linguæ peritia apprime instructus, quantos in ea perplexa scientia progressus fecisset, *Harmenopuli Epitomâ* elegantissime in Latinum versâ & illustrata summum specimen dedisset, tandem ea relicta professione (qua fere opes & celebritatem homines nostri sibi comparant) totum se sacris literis & *Hebraicæ* ac *Chaldaicæ* linguæ inprimis studio addixit, in quo diligentia, contentione, ac rara animi perspicacia felicitate tantum profecit, ut (cum suo id *Fr. Vatablus* è vivis excessisset) summa omnium Professorum ac Doctorum consensione, is esse visus sit, qui jacturam morte tanti viri acceptam (qualem in ea lingua nulla ante ætas audiverat) facile

 sarciret,

farciret. Post mortem ejus publicata sunt eruditissima in VI. minores *Prophetas* priores, *Jobum*, *Salomonem*, & postea in *Genesin Commentaria*; qui fœtus licet posthumi, accuratam parentis sui diligentiam produnt; ut vel ex iis & aliis (quæ vivus publicavit) monumentis in confesso sit, "nunquam quenquam Christianum feli-"cius *Hebraizasse*.

Petrus Montaureus, magni & excellentissimi ingenii vir, & in *Philosophia* ac *Mathematicis* artibus (in quibus multa antiquorum illustravit, non pauca ipse adinvenit) versatissimus: adhæc, pangendis *versibus* magnam laudem promeritus: à *Michaele Hospitalio* amplissimo viro ac præcipuo amico versibus acerbæ 10 seculi hujus ingratitudinem querimoniæ plenis deploratus.

M. D. LXXI.

CLaudius Espencæus, genere illustris, sed pietate, candore, & omnium disciplinarum absoluta cognitione illustrior; per XL. annos in *Parisiensi* Academia humanioribus, Philosophicis ac Theologicis studiis cum incredibili omnium admiratione operam navavit: cum delectis

delectis adversæ partis Theologis summa æquitate ac moderatione egit; & voce, ac eruditissimis in complures Scripturæ locos editis *Commentariis*, religionis negotium promovit: sacri etiam olim Galeri decus potius *meritus* quàm adeptus. "Unus è "paucorum numero, qui de idoneis pacis "in Ecclesia constituendæ rationibus, serio "semper cogitavit: atque adeò de tol- "lenda è domo Dei scissura, quam multi "hodie (dum præpostero pietatis ardore, "strenui in ea caussa videri volunt) fir- "mant magis quam oppugnant, alienatis "& obduratis Adversariorum animis, quos "potius emendationis facta spe & sublatis "offendiculis conciliari & sensim ad unio- "nem abduci oportuit.

Henricus Scrimgerus. Is patria relicta, Lutetiam Parisiorum literarum caussa, solenni *Scotis* more, venit. In Germaniam profectus *Huldrico Fuggero* insigni literarum & literatorum patrono operam addixit; ejusque sumtibus *Bibliothecam* magnâ librorum rariorum tam Græcorum quàm Latinorum MSS. copiâ instruxit: ad quos edendos *Genevam* reversus, *Hen. Stephani*, qui & *Fuggeri* stipendiarius erat, industria usus erat: & *Novellas Justinianeas* (quas *Fac. Cujacius* tantopere post *Gregorii Holoandri* editio-

nem laudavit) ex illius officina publico dedit.

Ludovicus Castelvetrus, *Mutinæ* natus, præter alia insignem *in Aristotelis Poeticam* Commentarium lingua vernacula scripsit, & *Basileæ* elegantissima forma edendum curavit.

Georgius Fabricius. Qui rem literariam non mediocriter & scriptis & viva voce juvit & illustravit: & *Poetica* facultate (quam rebus sacris fere impendit) magnam laudem inter suos adeptus.

Joannes Juellus. Qui *Mariâ* Reginâ ob Religionem exul, ab *Elizabetha* in patriam revocatus, & *Sarisburiensi* Episcopatu donatus, Confessionem fidei, sub *Edvardo* VI. receptam, contra *Thomam Hardingum* (qui eam aliquando probaverat & postea recantaverat) libris editis, qui magno in pretio inter eos habentur, tutatus est.

M. D. LXXII.

Petrus Ramus, bonas literas, Philosophiam, & postremo *Mathematicas* scientias in *Prælaa Schola*, (cui præerat) & postea in Regio auditorio docuit: postremo erroneam in Philosophicis doctrinam

nam invexit, *Aristotelem* voce & scriptis importunè oppugnans. Tamen ex eo commendatione dignus fuit, quod ingenio, diligentia, assiduitate & opibus etiam suis (quantum in ipso fuit) rem literariam juvit, ac promovit; instituta *Mathematices* professione, cui annuum vectigal D. *Librarum* è facultatibus suis attribuit.

Dionysius Lambinus, humaniorum literarum & utriusque linguæ *Regius Professor*, multisque editis libris de re literaria benè meritus.

Ægidius Schendus, vir clarissimus, qui patriæ suæ *Historiam*, h. e. *Helveticam* magno labore & industria vernaculo sermone descripsit: quam ad umbilicum perducere non potuit, morte præventus.

Joan. Wolfius, magni nominis & eruditionis inter suos *Theologus*. Is *Petri Martyris* inchoata & imperfecta supplevit, & multa insuper scripsit. Fratri ejus *Gaspari* multa *Conradi Gesneri* debemus.

Donatus Janotius, *Florentinus*. Is à teneris egregie in literis instructus, cæterum ad tractanda negotia natus, cum patriæ calamitate & spontaneo exilio sibi generosè indicto à rebus gerendis remotus esset, totum vitæ tempus in literis & officiis pri-

Vatis contrivit: & *Venetiis* (ut vel in aliena Rep. civitatem retineret, & amissæ veluti libertatis auram respiraret) domicilium fixit: & in grati animi testimonium *de Serenis. Rep.* Commentarium summo judicio conscriptum edidit. Scripsit & in illo otio *De Rebus Italiæ ad Paullum III.* & *de Rep. Florentina* etiam Commentarios.

Hippolytus Salvianus, familia nobili natus, vir multijugæ doctrinæ, & opere *De Piscibus* inter alia scripta clarus. XXII. annos in Schola Rom. magno concursu prælegit & Medicinam felicissime fecit.

Joannes Argenterius, loco obscuro natus, sed ingenio (quod in *Aristotelis* Schola præcipuè exercuit) excellens: præstantissimus item *Medicus*, & scriptis ad posteritatem victuris clarus.

Nicolaus Gruchius, nobili loco natus, omni literarum ac scientiarum genere egregiè instructus, & cum *Joach. Perionio* primum de *Aristotelis* vera interpretatione, dein cum *Carolo Sigonio* de præcipuis Antiquitatis Rom. controversiis (de quibus & scripta utriusque publicè prodierunt) digladiatus. *Aristotelem Lutetiæ*, &c. (quod primus *Græcè* fecit) publicè interpretatus est.

Ant.

Ant. Rodolphus Cevallerius. Is cum à puero linguæ Hebraicæ operam dediſſet, Lutetiæ Pariſ. ſub *Fr. Vatablo*, in Anglia Oxonii ſub *Paullo Fagio*, inde inter domeſticos Elizabethæ (quæ poſtea Regina fuit) adſcitus, cupidam diſcendi virginem linguam Gallicam docuit. Præter *Grammaticam linguæ Hebraicæ* exactiſſimam & *Theſaurum Sancti Pagnini* multa acceſſione locupletatum, novam *Bibliorum* editionem quadrilinguem aggreſſus fuerat, magna diligentia adornatam: Cujus primam partem, qua *Pentateuchus* & *Joſua* liber continentur, manu ipſius eleganter deſcriptam, mihi videre contigit.

Stephanus Szegadinus, magni inter ſuos nominis (editis etiam pleriſque ſcriptis) *Theologus.*

Jo. Geneſius Sepulveda, homo Græcè Latinéque doctus, & Philoſophicis ſtudiis clarus (quod eruditæ ejus lucubrationes editæ teſtantur) ſed *obnoxius*, & quanquam Theologiam profeſſus ab humaniore ſententia (quæ *Theologum* magis decebat) alienus.

M. D. LXXIII.

Michael Hoſpitalius. Qui per omnes togæ gradus, ſummâ cum doctrinæ integritatis, gravitatis ac prudentiæ incomparabilis laude verſatus, ad ſolſtitium tandem honorum pervenit. Quæ *de Jure* ſcripſit immortalitate digniſſima, in tenebris hactenus delituere, aliquando utinam magno Reip. bono, lucem viſura. *Verſus* ejus puritate ſermonis, nitore, acumine & ſententiarum pondere cum omni antiquitate certant.

Andreas Maſius. Vir ſincero, candido & aperto ingenio: adhæc rara & recondita doctrina præditus, & qui ad *Hebraicæ, Chaldaicæ*, ac cæterarum *Orientalium* linguarum cognitionem, ſummam animi pietatem & exactum rerum ſacrarum ſtudium attulerat, variâque in eo genere commentatus eſt.

Carolus Langius, poſt humaniorum literarum egregium ſtudium *Juris* ſcientiæ ſe addixit: multa in literis commentatus eſt, à *Ciceronis* opere præclaro, quod *de Officiis* ſcripſit, exorſus: & *hortorum* culturæ, homo elegantiæ inſuetus, animum applicuit; primuſque *exoticos flores*, ac plantas

plantas ex *Indiis* ac novo orbe, non ſolum oculorum oblectamento, ſed etiam naturæ remedia novis morbis quærenti locupletandæ, undecunque collegit, ac per pulvillos diſpoſuit.

Franciſcus Fabricius, literator inſignis, editis in hoc genere compluribus monumentis: qui ſecundum *Sebaſtianum Corradum* bonos auctores maxime illuſtravit.

M. D. LXXIV.

Paullus Manutius. In quo præter exactam puritatis Latinæ & antiquitatis Rom. cognitionem (quam ad *Ciceronem* ſuum illuſtrandum attulit) pleriſque ſcriptis dum vixit publicatis, & poſt mortem à filio *Aldo* virtutum paternarum hærede editis, præcipua ad juvandos aliorum labores cura, ac (per manus hæreditario veluti jure à patre & avo tradita) induſtria fuit, inſigni illâ & omnibus ſeculis deprædicandâ artis typographicæ officinâ; ex qua omnium fere veterum tam *Græcorum* quam *Latinorum*, & aliorum auctorum ſcripta diligenter (ut tempora ferebant) certè *elegantiſſime* excuſa, ad publicam utilitatem olim prodierunt: ut omnium confeſſione conſtet, literas renaſcentes ortum ſuum

Manu-

Manutiana familiæ debere. Quæ adultiores in Germania à *Frobenii*, ſed maxime omnium in Gallia à *Stephani* per C. annorum ſpatium eadem induſtriâ propagatæ, & ad ſummum diligentiæ ſimul & elegantiæ faſtigium perductæ ſunt.

Joachimus Camerarius. Cùm vitam otio literario conſecraſſet, poſt perceptam utriuſque linguæ exactam notitiam, non ſolum ad bonos auctores interpretandos, tam *Poetas* quàm *Oratores* & *Hiſtoricos*, ſed etiam in ſolidioribus Philoſophiæ, Mathematicarum artium, & poſtremo Theologiæ ſtudiis multa commentatus eſt. Ad quæ omnia (quod pauci ante illum fecerant) *politioris literaturæ ornamenta* ſemper attulit, variis in omni doctrinæ genere lucubrationibus, aut dum vixit editis, aut poſt ejus mortem à tanto patre dignis filiis publicatis: quæ ſparſim & diverſis temporibus ac locis per particulas edita (cùm ejuſmodi ſint, ut iis ad rem literariam plurimum emolumenti ſit redundaturum) ſimul omnia aliquando edi Reip. maxime intereſt.

Hieronymus Amalthæus, Philoſophus ac Medicus præſtantiſſimus: ea *morum ſuavitate*, ut vel ſolo aſpectu omnium in ſe benevolentiam alliceret. In *verſibus* pangendis præterea ita excelluit, ut *M. Ant. Muretus*

Muretus acerrimus harum rerum Judex ei inter Italos palmam detulerit.

Jo. Baptista Amalthæus. Hic pariter Græcè Latinéque eruditissimus *in Aula Rom.* toto vitæ curriculo versatus, ac tribus ordine Pontificibus charissimus, Cardinalibus *Tridentini* Synodi interpretibus *à secretis* fuit, ac multa vernaculâ linguâ lusit.

Joan. Guinterius, primùm *Gosellariæ* ludi moderator, ac dein linguæ Græcæ *Lovanii* professor fuit, inde *Lutetiam* profectus cum *Gulielmo Budæo* & *Joanne Lascare* (quos juvenis jam senes coluit) magna conjunctione vixit, & *Francisci* liberalitate Medicinæ lauream adeptus, ac *Medicus Regius* salutatus est.

Benedictus Aretius, inter suos plerisque scriptis editis clarus.

Cyprianus Leovicius, *Tabulis Astronomicis* diligenter putatis & *Eclipsium* descriptionibus insuper editis (quas ad annum usque MDCVI. perduxit) clarus.

Hermannus Cruserius. Medicæ scientiæ cum initio operam dedisset, multa *Galeni* Latinitate donavit, & posteà *Juri Civili* omnino se addixit: & ægritudinâ ex filiæ obitu contracta, quo se solaretur, novam *Plutarchi Translationem* (dum *Xilander* in eadem

eadem laboraret) fecit, quæ magno in pretio habetur.

Enimundus Bonefidius, homo probus & ſimplex: qui cum pedem patria nunquam extuliſſet, tamen *Hebraicis*, *Græcis* & *Latinis* literis ita egregie inſtructus erat, ut in celeberrimis orbis Academiis operam ſtudiis dediſſe ſub præſtantiſſimis Magiſtris crederetur. In *Jure* autem ſcientia, quam Valentiæ profitebatur, adeo excelluit, ut *Jacobus Cujacius*, qui principatum illius tenebat, alicubi ſcripſerit, ſi moriens rogetur (ut olim *Theophraſtus*) non alium habere ſe, quem diſcipulis ſuis poſſet oſtendere.

Reginaldus Clutinius Flaviniacus, nobili familia ac Senatoria *Lutetia* natus: unum & alterum elegantiſſimum carmen reliquit è multis quæ perierunt. Quæ, qualis quantuſque in eo ſcribendi genere eſſe potuerit, abundè apud doctos fidem faciunt.

Joannes Verſoſa, *Hiſpanus*, in *Angliam* ſub id tempus venit, quo *Philippus Mariam* in uxorem duxit, & poſtea *Romam* miſſus eſt, in urbe morari juſſus, ut teſtimonia ad jura regnorum *Philippi* ſpectantia undique conquireret ac deſcriberet: cúmque rerum ac negotiorum tractatione innatam naturæ prudentiam admodum exacuiſſet,

acuiſſet, ejus quoque non vulgaria præcepta *verſibus* (quibus inter occupationes ſerias pangendis plurimum ſemper delectatus eſt) paſſim inſperſit, qui *Panhormi* in Sicilia *Epiſtolarum* titulo publicati ſunt.

Georgius Vaſarius, ob excellentiam artis (quam *Hiſtoriâ* accuratè & eleganter ſcriptâ illuſtravit) meruit, ut inter viros ingenio & literis præſtantes accenſeretur. *Pictor* & *Architectus* noſtra ætate excellentiſſimus, diu magno Etruriæ Duci *Coſmo* omnium liberalium Artium (inter quas Pictura & Architectura ut referretur obtinuit) fautori eximio operam navavit, editis paſſim ingenii ſui ad ſtupendum omnium ſpectaculum monumentis.

M. D. LXXV.

M. *Antonius Boba* Card. Qui *Poeticæ* fœlicitate & eleganter ſcribendi ac loquendi facultate inter alias animi dotes, nec non arcta, quæ mihi ſicet admodum juveni, cum illo, dum *Romæ* eſſem, interceſſit, neceſſitudine meruit, ut ejus hic honorificam mentionem faceremus.

Bernardinus Rota, non plus generis, quàm ingenii nobilitate illuſtris; quod ille in

in *Poetica* Latina & Etrusca non exigua cum laude exercuit.

Franciscus Maurolycus, vir *Mathematicis* studiis hac ætate insignis, qui scriptis suis præclaras has artes plurimum illustravit.

Fridericus Commandinus. Qui ad easdem artes illustrandas cùm exquisitam utriusque linguæ peritiam attulisset, multa *Græcorum* primus in lucem protulit, ac interpretatus est. Quibus in studiis assiduus dum *Pappi Alexandrini* interpretationem adornat, vivis exemtus est.

Matthias Flacius Illyricus, summus inter Protestantes Pontificiæ auctoritatis oppugnator, & ob eandem vehementiam *Phil. Melanchthoni* præceptori olim suo non satis æquus.

Henricus Bullingerus, Helveticæ Confessionis post *Zuinglium* & *Oecolampadium* summus propugnator; & illo mortuo ad *Tigurina* Ecclesiæ curam vocatus, sed maiore quàm doctor suus ingenio præditus, varia ac prope infinita scripta edidit.

Hadrianus Junius, rara utriusque linguæ, antiquitatis & humaniorum literarum cognitione, Philosophiæ præterea ac *Medicinæ* studiis præstans. Quod complura multiplicis doctrinæ ab eo elucubrata monumenta abunde testantur.

Guiel-

Gulielmus Canterus, primis utriuſque linguæ rudimentis ſub *Joanne Aurato*, optimo juventutis præceptore, Lutetiæ factis, induſtria propria tantum profecit, ut editis quam plurimis ſcriptis inter *eruditiſſimos* ſui ſeculi numerari meruerit, plura utique præſticturus, niſi eum mors immatura eripuiſſet.

M. D. LXXVI.

Gulielmus Xylander, utriuſque linguæ apprime peritus, & omnis antiquitatis & literaturæ cum paucis hujus ævi comparandus, adhæc *Philoſophicis* & *Mathematicis* ſtudiis clarus: dum vixit, cum ſumma egeſtate luctatus, atque ob id *fami non fama* ſcribere exiſtimatus. Multa ille magno rei literariæ bono edidit.

Joſias Simlerus, animi candore & omnijuga eruditione præſtans, qui [illegible] ſtilum præcipue in *Samoſatenos*, &c. ſtrinxit, aliis ſcientiis egregie inſtructus, ac præcipue *Mathematicis*: quas & per ſe percepit, & ſumma cum laude diu profeſſus eſt, & *inſtrumentis* ingenioſiſſime à ſe excogitatis illuſtravit. In bonis literis & excelluit, & *de Rep. Helvetiorum* Commentarium magna prudentia ſcripſit.

Conradus

Conradus Heresbachius, Commentarium in *Psalmos* eruditissimum edidit, & *de re rustica* post alios scripsit, non minus morum suavitate de suis, quàm eruditione de repub. bene meritus.

Georgius Joachimus Raticus, Mathematicarum artium ac rei præcipue *Astronomicæ* præstantissimus: quas secundum *Regiomontanum*, *Copernicum*, *Reinoldum* maxime illustravit.

Hieronymus Cardanus, magni nominis sive *Mathematicus*, sive Medicus. *Romæ* eum diverso ab aliis cultu incedentem paucis ante obitum annis conspicati & adlocuti ac sæpius admirati sumus; cùm celeberrimi tot scriptis hominis recordatio subiret, neque tamen quicquam in eo, quod tantæ famæ responderet, animadverteremus. In Opere *de Subtilitate*, in quibusdam interdum plus homine sapere, in pluribus minus pueris intelligere videtur. In *Arithmeticis* multa conatus est & invenit. *Judiciaria* (quam vocant) fidem apud multos struxit, dum certiora per eam, quàm ex arte possint, promeret.

M. D.

M. D. LXXVII.

Antonius Contius, certi judicii & exactæ diligentiæ J. C. nova *Juris Civilis & Pontificii* editione magnam laudem promeritus, ac pleriſque paſſim ingenii ſui monumentis publicatis: quæ in unum corpus aliquando colligi publici boni intereſt.

Petrus Daneſius. Is vir in noſtra ætate in omni ſcientiarum genere doctiſſimus nihil fere ſcripſit, ſed inſtructiſſimam *librorum* ſupellectilem reliquit, à ſe ſumma diligentia toto longiſſimæ vitæ nec unquam otioſæ tempore *notatorum*: quæ tamen divendita in uſus pauperum ac diſſipata magno rei literariæ detrimento periit.

Joannes Gorraus, excellens noſtra ætate *Medicus*, ad ſeculi ſui ornamentum & commune reip. beneficium natus, ab omni denique ſædo quæſtu alienus. Ad medicam ſcientiam exacta cognitione perceptam etiam utriuſque linguæ ſummam peritiam, & raram in utroque ſcribendi genere pedeſtri & ſoluto elegantiam adjecerat: quod præclara ejus monumenta, & *Nican-*

der imprimis Latinis versibus ab illo expressus, abunde testantur.

Remigius Bellaqua. In *Poetica* Latina & Gallica excelluit; sed in Gallica præcipue se exercuit, summoque verborum delectu & exquisita sententiarum concinnitate versus elaboravit, tanta cura adhibita, ut quod in illo naturale ac proinde laudatum fuit, in alio affectatum, & ideo improbari potuerit; eumque ob id *P. Ronsardus* naturæ pictorem vocare solitus erat. Itaque post *Ronsardum*, cui quisquis secundus fuit longe ab ipso abfuit, proximum locum aut tertium doctorum judicio meruit, (nam alterum locum quidam *Joachimo Bellaio* tribuunt.) Post *Rustica* sua, *de Lapidibus pretiosis* librum pari elegantia scripsit, quibus *tumulum* sibi ipse struxisse visus est, ut pulcrè cecinit *Ronsardus.*

Hannibal Crucetius. Vir raris ingenii & doctrinæ ornamentis excultus: quod vel *Achilles Tatius* ab eo Latinitate donatus ab posteritatem non ingratam testabitur.

P. Andreas Matthiolus, magni nominis *Medicus*, & imprimis famoso illo *Botanico* opere toties recuso clarus.

Petrus Nonius, professione *Medicus* & Mathematicarum Artium peritissimus: quas & doctissimis de *Arithmetica* abstru-

siore,

fiore, *Optica* & *Aſtronomia* libris editis plurimum illuſtravit.

Joan. Barroſius, *Indica Hiſtoria* ſummâ fide conſcripta bene de ſuis ac omnibus, qui harum provinciarum (fama tantum olim notarum) cognitione delectantur, meritus.

Lud. Andr. Reſendius, *Poeta*, *Orator* ac *Theologus*, & melioris antiquitatis valde peritus: pleraque ſcripſit, & conſilio ſuo alios in ſcribendo juvit.

Adamus Bodenſteinius, *Philippi Aureoli Theophraſti Paracelſi* (hominis novitate ſcientiæ, quæ innata ingeniis humanis curioſitate quamplurimos ſectatores habuit, quàm recta Philoſophandi ratione clarioris) ut primus, ſic fidus ſcituſque & ore & opere *interpres*.

M. D. LXXVIII.

Laurentius Surius Carthuſianus, vir pietate & candida ſimplicitate præditus; cui *Conciliorum* editionem ſingulari diligentia elaboratam & *SS. vitas* bona fide deſcriptas debemus.

Gerardus Falcemburgius. Vir inter omnes *Belgas* literarum *Græcarum* rara cognitione præſtans: quod cum alia ejus mo-

numenta, tum præcipue *Nonni Panopolitæ* ab ipso procurata & illustrata editio, apud æquos harum rerum æstimatores, abunde testatur.

Antonius Mizaldus Medicus, Philosophiæ & artis suæ studiis clarus: quam alioqui *Lutetiæ* summè lucrosam, *naturæ arcanis* scrutandis homo tota vita intentus fere neglexit, editis compluribus raræ doctrinæ & judicii scriptis, quæ à rerum peritis nunquam negligentur.

Petrus Lescotus Clanius. Qui cum à puero literis operam daret, totum se *Mathematicis* disciplinis mancipavit, quas (doctore *P. Postello*) magna felicitate percepit: & cum studio naturæ insito pingendi artem pari fœlicitate excoluisset, ad *Architecturam* præcipue animum appulit: in qua supra omnes hujus ætatis (absit invidia dicto) Architectos excelluit.

Alexander Picolomineus. In eo erat præter suavitatem morum, cum seria gravitate conjunctam, rara & exacta omnium laudandarum disciplinarum cognitio: quas & scriptis multiplicibus fere vernaculis illustravit, *Aristoteli* præcipue addictus: ad cujus perspicuam intelligentiam propria industria multum contul t.

Jo. Baptista Rasarius, Mediolani prima literarum tyrocinia fecit, &. Philosophiæ

ac

ac Medicinæ ſtudiis diligenter incubuit: *Venetias* evocatus artem dicendi, in qua excelluit, XXII. annos profeſſus eſt; totoque illo tempore vertendo *Galeno* & *Ariſtotelis* aliquot *interpretibus Græcis* egregiam operam navavit, Sereniſſimæ illi Reip. acceptiſſimus. Cujus & memorabilem ad *Echinadas* partam de Turcis victoriam luculenta *oratione* laudavit.

M. D. LXXIX.

Joannes Hartungus, præſtans doctrinâ vir: qui literas humaniores *Græcas* magna cum laude profeſſus, etiam ſcriptis excoluit.

Eraſmus Oſvaldus, Mathematicarum artium (quas & ſcriptis illuſtravit) & pariter linguæ ſacræ ſcientia (exemplo *Sebaſtiani Munſteri* præceptoris ſui) clarus.

Joannes Stadius, Mathematicarum artium ſcientia cumprimis clarus & inſigni *Ephemeridum* ab anno MDLIV. ad annum MDCVI. ſumma diligentia putatarum Opere toto orbe celeberrimus.

Ludovicus Regius. Qui utraque lingua doctiſſimus, cum ad eas etiam diſciplinarum omne genus adjunxiſſet, patriæ lin-

guæ ornandæ ac excolendæ animum applicuit, & *Platonem* ac *Aristotelem* (libris cumpluribus eorum translatis) *Gallice* loqui docuit, *Commentariisque* eruditiss. explicavit.

Jo. Baptista Hadrianus. Vir literis egregie excultus, qui *Fr. Guicciardini* (post antiquos nemini meo judicio postbabendi) *Historiam* accurata diligentia persecutus est, h. e. ab anno hujus seculi XXXVI. res in *Italia* gestas ex Commentariis plerumque, ut apparet, *Cosmi* M. Etruriæ Ducis (ingentis animi ac profundæ prudentiæ principis) luculento Opere explicavit.

M. D. LXXX.

Hieronymus Wolfius, exacta linguæ Græcæ cognitione clarus: qui, perlustratis in adolescentia Galliæ & Italiæ *Academiis*, cum se *Augustam Vindelicorum* tanquam in tutissimum studiorum nidum contulisset, eas maxime scriptis & industria sua illustravit, *Fuggerorum* liberalitate sublevatus: quorum munificentiæ *Zonaram*, *Nicetam Gregoram*, primarios historiæ *Constantinopolitanæ* scriptores ab illo summa fide Latinitate donatos debemus.

Immanuel

Immanuel Tremellius, Ferrariæ patre Hebræo natus, linguæ *Hebraicæ* peritiſſimus. *Heidelbergam* ad profeſſionem Hebræam evocatus eſt. Ubi *Syriacam* N. Teſtam. interpretationem Latinitate donavit: & poſtea novam veteris Fœderis ad Hebraicæ veritatis fontes examinatam *Tranſlationem* molitus eſt; ſocio tanti laboris aſcito *Franciſco Junio* Biturige.

Hieronymus Surita, Hiſpanus. Vir ingenii omni doctrina inſtructi elegantia clarus, & prolixo ac laborioſo *patriæ Hiſtoriæ* opere à ſe edito, nec non *Antonini Itinerario*, variis lectionibus potius quam Commentariis illuſtrato, ac poſt mortem ejus ab Andræa Schotto publicato de patria (Hiſp.) & literis optime meritus.

Alvardus Gomecius. Qui opera *de vita Ximenii Card.* (cui tantum non ſolum ſua Hiſpania ſed totus orbis Chriſtianus debet, ob *Bibliorum* luculentam illam, in mediis ignorantiæ tenebris, editionem ſuo ſumtu procuratam) pari prudentia & elegantia ſcripto ſummam gratiam à ſtudioſis inivit.

Hieronymus Oſorius, tum ſcriptis (quæ multa & varia puriore ac florido ſtylo exarata, dum vixit, paſſim dedit, & poſt ejus mortem *Hieronymus* ex fratre Nepos Romæ

publicavit) tum vitæ ſanctioris exemplo non ſolum ſuis ſed toti orbi Chriſtiano utilis.

M. D. LXXXI.

Jac. Billius Prunæus. Vir non plus nobilitate quam propria virtute ac vitæ ſanctimonia & doctrina ab omni fuco aliena, linguæque *Græcæ* exacta cognitione clarus, quam in veteribus *patribus* illuſtrandis præcipue exercuit.

Gulielmus Poſtellus. Qui Philoſophiæ & Mathematicarum artium ſtudia primum profeſſus, & inde longinquis *peregrinationibus* linguarum externarum ac maxime *Orientalium* cognitionem adeptus, innumera *exotici guſtus ſcripta* paſſim in Italia, Germania & apud nos edidit.

Hubertus Languetus. Vir doctiſſimus & humaniſſimus, ac rerum Germaniæ (in qua fere totam vitam contrivit, & ubi *mihi* arcta cum eo amicitia fuit) peritiſſimus, & ſummus *Joachimi Camerarii* amicus.

Andreas Papius, utriuſque linguæ ac *Muſicæ Poeticæque* peritiſſimus, quod pauca ejus ſcripta apud poſteritatem teſtabuntur.

Petrus

Petrus Ciaconus. Vir exquisita in omni scientiarum genere, antiquitatis & omnis politioris literaturæ cognitione clarus: & quem unum video ex omni literatorum, qui ævo nostro innotuerunt, numero, qui *Æmaro Ranconeto* nostro comparari possit.

Jo. Bapt. Camotius. Qui linguarum etiam *Orientalium* cognitione insignis, ac *Græca* præ aliis peritissimus, à *Pio* IV. Romam evocatus *Patrum Græcorum* scriptis interpretandis incubuit. Multa scripsit: ex quibus tantùm *Orationes* sparsim variis temporibus habitæ, dum vixit editæ; & Commentarii Græci *in Metaph. Theophrasti*, & *Translationes* è Græco pleræque, plura non edita: quorum Indicem ad me Italia transmissum longum esset & ad rem superfluum hic inserere.

Hubertus Folieta, vir Latinè scribendi facultate præstans, multa elegantissime & acri judicio scripsit: quæ simul edi publice interest. Is unus nostro ævo dignus fuit, qui sicuti spem fecerat, Historias sui temporis *Paulli Jovii* vestigiis insistens persequeretur. Multa ex eo cum *Operi Historiarum* inseruerim, ac plerunque verba ipsa (nam quî meliora potuissem?) non solum ingenue id profiteri, sed ejus memo-

memoriam digna recordatione hîc recolere officii mei esse duxi.

Lucas Petus, J. C. Rom. puriorem antiquitatem & meliorem literaturam ad *Juris Civilis* interpretationem attulisse creditus, pauca tamen in eo genere præstitit, & hanc palmam nostris hominibus reliquit.

Joan. Fichardus, J. C. Qui à *Bernardino Rutilio* vitas veterum Juris sapientum descriptas ad *Haldricum Zazium* usque persecutus est: hoc certe facto meritus, ut qui tot clarorum virorum memoriam in occulto latere passus non est, silentio minime prætereatur.

Franc. Portus Cretensis, *Gracia* suæ magnum nostra ætate *ornamentum*, qui voce ac scriptis Græcos auctores diu interpretatus est.

Francis. Venerius, patricius venetus, qui Philosophicis studiis innutritus, in adolescentia *de Voluntate*, *de Anima*, *de Fato*, vernacula lingua commentarios edidit: deinde in Rep. sua honores magna integritatis & prudentiæ laude gessit.

M. D.

M. D. LXXXII.

Jacobus Peletarius, Medicus, sed Poetica & *Mathematicarum* artium (quas editis plerisque scriptis illustravit) exquisita scientia præcipuè clarus.

Laurentius Joubertus, professione item Medicus, *Rondeletii* famosi adeo in ea arte quondam discipulus. Is cum Academiæ *Monpessulanæ*, in qua artis Medicæ celebris Schola est, Cancellarii dignitate præesset, in Aulam evocatus fuerat à *Margarita Navarri* uxore, ubi edito *De Erroribus popularibus* insigni Opere magnum nomen adeptus est.

Georg. Buchananus. Vir ingenii felicitate & scribendi facultate (quod ejus scripta ad omnem æternitatem victura, vel fatente invidia, testantur) nostra ætate incomparabilis. Post prima utriusque linguæ tyrocinia apud suos facta omnem fere ætatem in *Gallia* exegit: *Lutetiæ*, *Burdigalæ*, & postea *Conimbricæ* juventuti erudiendæ operam dedit, toto eo tempore insignem illam *Poeticam Psalmorum paraphrasin* commentatus. Anno hujus seculi LX. bellorum Civilium apud nos ardente incendio ad patriam antiquam, alumna & nutrice

nutrice *Gallia* relicta, reversus est: ibi *Protestantium* doctrinam palam amplexus, tandemque post regno exutam *Mariam* Reginam erudiendo *Jacobo* VI. ejus F. appositus, in senili otio *patriam Historiam* aggressus est. Quam tanta puritate, prudentia & acumine scripsit (quamvis interdum libertate genti innata *contra Regium fastigium acerbior*) ut ea scriptio non hominem in pulvere literario versatum, sed in media hominum luce & in tractandis Reip. negotiis tota vita exercitatum redoleat. Adeo ingenii felicitas & animi magnitudo omnia obscuræ & humilis fortunæ impedimenta ab eo removerant, ut propterea non minus rectè de maximis rebus judicare & scribere prudenter posset. Et sane memini *P. Ronsardum* virum acerrimi judicii (qui licet in dispari fortuna constitutus tota vita Scholastico otio oblectatus fuerat) cum de *Buchanano, Hadr. Turnebo, Ant. Govtano, M. Ant. Mureto* (quibuscum arcta amicitia conjunctus fuerat) verba faceret, dicere solitum, *Illos homines nihil Pædagogica præter togam & pileum habuisse*; & tamen de vulgo Pædagogorum sic censere, nunquam incorrigibilis ineptiæ ex Pædagogica contractæ characterem vel longissimi ævi curriculo deleri posse.

M. D.

M. D. LXXXIII.

Joan. Maldonatus, è sodalitio *Jesuitico*, egregie à teneris omni literarum genere excultus; qui ad exactum *Philosophiæ* & *Theologiæ* studium singularem pietatem, morum candorem, & acerrimum judicium cum attulisset, magna cum laude & frequenti omnium ordinum concursu totos X. annos *Lutetiæ Parisiorum* (ubi & eum pueri audivimus) in *Claromontana* Schola professus est. Unusque in caussa extitisse merito creditur ut *Sodalitium* illud toti Academiæ valde invisum & alioqui jam prudentioribus suspectum ob tanti viri gratiam ac commendationem à senatu, apud quem lis adhuc indecisa pendebat, tam diu toleraretur. Nihil vivens publicavit: post mortem ejus opera ac cura *Cle. Puteani* ex eodem sodalitio viri doctissimi, prodierunt eruditissima Commentaria *in quatuor Evangelistas* Mussiponti edita, meliora & integriora multorum judicio futura, si superstite auctore edita fuissent. Quibus tamen si pari diligentia elaboratæ *in Acta Apost. & Apost. Epistolas* Interpretationes, quas scripsisse illum constat, olim accedant, habebunt profecto

nutrice *Gallia* relicta, reversus est: ibi *Protestantinm* doctrinam palam amplexus, tandemque post regno exutam *Mariam* Reginam erudiendo *Jacobo* VI. ejus F. appositus, in senili otio *patriam Historiam* aggressus est. Quam tanta puritate, prudentia & acumine scripsit (quamvis interdum libertate genti innata *contra Regium fastigium acerbior*) ut ea scriptio non hominem in pulvere literario versatum, sed in media hominum luce & in tractandis Reip. negotiis tota vita exercitatum redoleat. Adeo ingenii felicitas & animi magnitudo omnia obscuræ & humilis fortunæ impedimenta ab eo removerant, ut propterea non minus rectè de maximis rebus judicare & scribere prudenter posset. Et sane memini *P. Ronsardum* virum acerrimi judicii (qui licet in dispari fortuna constitutus tota vita Scholastico otio oblectatus fuerat) cum de *Buchanano*, *Hadr. Turnebo*, *Ant. Govеano*, *M. Ant. Mureto* (quibuscum arcta amicitia conjunctus fuerat) verba faceret, dicere solitum, *Illos homines nihil Pædagogica præter togam & pileum habuisse*; & tamen de vulgo Pædagogorum sic censere, nunquam incorrigibilis ineptiæ ex Pædagogica contractæ characterem vel longissimi ævi curriculo deleri posse.

M. D.

A. D. LXXXIII.

Joan. Maldonatus, è ſodalitio *Jeſuitico*, egregie à teneris omni literarum genere excultus; qui ad exactum *Philoſophiæ* & *Theologiæ* ſtudium ſingularem pietatem, morum candorem, & acerrimum judicium cum attuliſſet, magna cum laude & frequenti omnium ordinum concurſu totos X. annos *Lutetiæ Pariſiorum* (ubi & eum pueri audivimus) in *Claromontana* Schola profeſſus eſt. Unuſque in cauſſa extitiſſe merito creditur ut *Sodalitium* illud toti Academiæ valde inviſum & alioqui jam prudentioribus ſuſpectum ob tanti viri gratiam ac commendationem à ſenatu, apud quem lis adhuc indeciſa pendebat, tam diu toleraretur. Nihil vivens publicavit: poſt mortem ejus opera ac cura *Cle. Puteani* ex eodem ſodalitio viri doctiſſimi, prodierunt eruditiſſima Commentaria *in quatuor Evangeliſtas* Muſſiponti edita, meliora & integriora multorum judicio futura, ſi ſuperſtite auctore edita fuiſſent. Quibus tamen ſi pari diligentia elaboratæ *in Acta Apoſt. & Apoſt. Epiſtolas* Interpretationes, quas ſcripſiſſe illum conſtat, olim accedant, habebunt profecto

profecto omnes docti & pii opus paucis in hoc genere comparandum, & quod unum multorum instar esse possit.

Hubertus Goltzius. Cui [illegible]iquitas Græca ac Rom. secundum *Onufrium Panuinum*, *Ant. Augustinum*, *Fulvium Ursinum* debet plurimum: & qui *arte cælandi* ac scriptis propriis ad utramque multum contulit.

Thomas Erastus. Qui Philosophiæ & Medicinæ studiis hac ætate claruit, solidis veris atque adeo à *veteribus* proditis utriusque scientiæ primordiis constanter insistens: itaque & *Astrologiam*, quæ ex positu Astrorum de fortunis hominum decernit, validis Argumentis confutavit; & *Paracelsiam* Medicinam (quæ seu novitate seu vanitate sua in *Germania* ac alibi tot ingenia illexit) validis itidem Argumentis confutatam acerrime insectatus est. Ad ultimum etiam humanas scientias egressus Theologica tractavit, & Quæstionem *de disciplina ac censuris* non omnino ex suorum sententia agitavit: unde graves in *Helvetiorum* Ecclesiis exortæ contentiones.

M. D.

M. D. LXXXIV.

Paullus Foxius, Archiepiſcopus *Tholoſanus*, olim in *Pariſienſi* Curia Senator: poſtea *Anglicana* & *Veneta*, dein & aliis legationibus ſumma cum prudentiæ laude feliciſſime defunctus, *M. Ant. Muretus*, magnum non ſolum *Galliæ* noſtræ ſed ipſius *Romæ* lumen, qui vivum coluerat, mortuum habita publicè *oratione* laudavit.

Vidus Faber Pibracius, Senatus Pariſienſis præſes, elegantia & amœnitate ingenii, quod ingenuis artibus à pueritia gnaviter non ſolum tinxerat, ſed plane imbuerat, & exquiſita *Latinè* loquendi ac ſcribendi peritia (quam ſub *P. Bunello* imbiberat) clarus: ad quam etiam *verſus Gallicos* pangendi raram fœlicitatem adjunxerat. *Foxium* & *Fabrum* optimos viros & Gallici nominis ſtudioſiſſimos, eodem menſe quanquam longe diſſitis locis, amiſiſſe, cum Reip. noſtræ luctuoſum fuit, tum *mihi* imprimis, qui eorum amicitia ſemper familiariſſime uſus ſum, & quibus ſecundum parentes plurimum debebam nam me ambo præcipuo amore ac tanquam filium proſecuti ſunt: & quicquid doctrina

doctrina & rerum usu valeo (si quid valeo) id utrique libentissime acceptum fero: idque pro non ingrati animi monumento apud posteritatem testatum volo.

Gentianus Hervetus, à puero optimis artibus & utriusque linguæ cognitione instructus. Lutetiam profectus *Edvardo Lupseto Anglo* in excudendo *Galeno* à *Thoma Linacro* Latinè verso desudanti operam addixit: eumque in Angliam redeuntem secutus, *Arturo Polo* instituendo à *Sarisberiensi* matre appositus est; & postea à *Reginaldo Polo* Card. communis matris permissu in Italiam evocatus est, ut *Græcis* auctoribus in Lat. linguam vertendis operam daret. Ubi ille in tanti viri familia, quæ virtutum & omnis civilis cultus velut officina erat, diu fuit, *Polo* ipsi chariſſimus, & summorum in Italia virorum amicitiam, ob raram eruditionem & morum suavitatem promeritus.

Franciscus Turrianus, vir in Theologica antiquitate & linguæ *Græcæ* & *Hebraeæ* peritia clarus: cujus quo plura eruditi ingenii monumenta edidit, eo pauciora mihi de ipso dicenda sunt. Post multa tum à se tum ex antiquis *patribus Græcis* edita, contra *Ant. Sadeel* præcipue stylum exercuit.

Huldricus

Huldricus Fuggerus Auguſtanus, *Paulli* III. olim cubicularius; & poſtea *Proteſtantium* doctrinam amplexus, veterum ſcriptis liberali ſumtu comparandis & evulgandis intentus, eaque in re *Henrici Scrimgeri* & doctiſſimi Typographi *Henrici Stephani* induſtriâ uſus eſt. *Palatino* VII. *viro Bibliothecam* fidam exilii ſui comitem moriens legavit.

Joan. Sambucus, profeſſione Medicus, cujus ea fuit in veteribus libris colligendis diligentia, liberalitas in publicandis, ut principibus viris, qui hâc re laudem conſecuti ſunt, quamvis in diſpari fortuna æquari debeat.

Janus Gulielmius, adoleſcens cultiſſimi ingenii. Cum nondum attigiſſet XXX. vitæ annum deceſſit: eo magis deploranda morte, quod multa & inter ea novam *Ciceronis operum ad MS. exemplaria* diligentiſſime collatorum, & amplius ſexcentis clauſulis ſuppletorum editionem paratam haberet: quam & *ego Lutetiæ*, dum is ad me familiariter ventitaret, *vidi*, hactenus magna rei literariæ jacturâ aut diſperditam aut ſuppreſſam.

Abrahamus Bucholtzerus, opere *Chronologico* magnam gloriam adeptus.

M. D. LXXXV.

M. *Ant. Muretus*, ingenio præſtanti & ad omnia nato præditus, quod in politiori literatura præcipue exercuit, utriuſque linguæ peritia clarus, & *Latinè* ſcribendi facultate inſignis, ad quæ omnia acerrimum judicium attulit.

Petrus Victorius, longæva ætate id conſecutus, ut literas in *Italia* renaſcentes & pœne extinctas viderit. De quo pauciora eo mihi dicenda ſunt, quod ejus pleraque monumenta extant, quibus humaniores literas, & antiquos ſcriptores tam *Græcos* quam *Latinos* magna fide ac diligentia recognitos explicavit.

Carolus Sigonius. Qui cum ſub *Romulo Amaſæo*, literis primum operam dediſſet, in *Bapt. Egnatii* locum (qui *Venetiis* profitebatur) ad literas humaniores docendas primum à Senatu accerſitus eſt, atque inde ad Gymnaſium *Patavinum* ſibi gradum fecit, tandemque *Bononiam* conceſſit: ubi & ultima ſtipendia fecit, monumentis variis editis ad æternitatem victuris: (quibus antiquitatem Rom. iiſdem, quibus *Onufrius Panninus*, veſtigiis inſiſtens, & poſteriora tempora

tempora unus post omnes maxime illustravit) clarus.

Sebastianus Echinus gente patricia *Venatus*; qui egregie literis instructus primam juventutem capessendis honoribus insumsit: inde ad otium literarium revolutus, omissa Rep. ad studia familiaria se totum contulit, & opus *de Nummis antiquis* absolvit: *in Aristotelis Ethica* scripsit: *Timaum Platonis* suis Italis dedit, aliaque Philosophica commentatus est.

Rembertus Dodonaus, *rei herbariæ* meliore quàm à quopiam antea ordine digestæ opere præcipue inclaruit: postea Medicinam publice apud *Batavos Lugduni* magnâ peritiæ laude professus.

Joan. Molanus Lovanienſis, & Theologiæ in celebri illa Academia professor, *Historiæ Ecclesiasticæ*, quam compluribus scriptis illustravit, admodum gnarus.

Jo. Crato. Is prima studiorum tyrocinia in *Germania* fecit sub *Philippo Melanchthone*, dein *Jo. Bapt. Montano* præstantissimo Medico operam navavit, sub eoque excellentissimus *Philosophus* simul & *Medicus* evasit.

P. Ronsardus, grandior ad literas animum appulit, præceptore usus *Joanne Aurato*, quas tanta aviditate simul ac felicitate percepit, ut præteritæ negligentiæ

damnum brevi tempore resarcierit : in *Poetica* vero tantum antiquorum, quos nocturna ac diurna manu versabat, imitatione atque adeo æmulatione profecit, ut præstantissimos æquasse, plerosque ex iis superasse videatur. Nam cum generosos impetus & acerrimum judicium, quod raro accidit, simul à natura haberet, hæc duo ad facultatem Poeticam attulit : & ita naturam arte temperavit, *Graia Camana Latinaque* spiritum admiscens, ut post *Augusti* seculum, (quod, ut in altissima pace, uberrimo ingeniorum proventu floruit) Poetarum, qui post fuerunt (citra excessum & invidiam hoc dictum sit) præstantissimus evaserit.

M. D. LXXXVI.

Martinus Navarrus. Qui *Salmanticæ* primum, dein *Conimbricæ* permultos annos *jus Pontificium* magna non solum eruditionis, sed pietatis ac synceritatis fama professus, innumeris & summæ authoritatis in eo genere editis monumentis.

Antonius Augustinus, magnum *Hispaniæ* lumen, qui politioris literaturæ ac antiquitatis rara cognitione sibi in *Italia* comparata,

parata, & *Juris Romani* ac postremo *Pontificii* exquisita scientia meruit, ut *Romæ* inter XII. viros litium judicandarum à Pontifice cooptaretur. Multa, in Italia dum fuit, & postea in patria, ad æternam memoriam victura monumenta edidit, sive edenda *Fulvio Ursino* amico suo & in eodem literarum genere, Jurisprudentiam excipio, versanti commisit.

Octavianus Ferrarius; Mediolanensis. Qui primum literis humanioribus & Philosophiæ ac Medicinæ studiis in celeberrimis *Italiæ* gymnasiis egregie eruditus, in *Canobiana* Schola, cujus instituendæ, *Paul. Canobio* auctor fuerat, annos duodeviginti *Ethica & Politica* docuit. Dein jussu Senatus *Ticinum* concessit, & naturalem *Aristotelis* Philosophiam suscepit interpretandam: quam & *exoterico opere* non parum exornavit.

Julius Castellanus. Qui Academicas *Ciceronis*, & *Aristotelis* de humano intellectu doctrinam discussit: & in urbe Philosophiam aliquot annis secunda fama docuit.

Laurentius Gambarus. Qui ingenium in *Poetica* feliciter exercuit, & in familia *Alexandri Farnesii* Card. literatorum fautoris eximii diu vixit.

Hieronymus Columna, majore præconio

dicendus, & ob gentis (cujus nomen præferebat) claritudinem, & ſingularem eruditionem cum moribus ſuaviſſimis conjunctam. Bis mille quingentorum voluminum *Bibliothecam* inſtruxit, præter *ſtatuas* antiqui operis & *nummos*; raræque elegantiæ *picturis* ornatam domum habuit, ac ſplendide vixit: in eoque ſplendore & otio multa elucubraſſe dicitur, quippe utriuſque linguæ non trita cognitione præditus. *Q. Ennii fragmenta* collegit, diſpoſuit, explicuit, fidem apud poſteritatem factura, quid à tanto viro expectandum fuerit, ſi diuturniorem ei vitam Deus annuiſſet.

Galeacius Caracciolus. Cum *Petrus Martyr* Vermilius Neapolim veniſſet, & jam tum diſſeminatam per Helveticos & in Germania doctrinam fidis in arcano inſtillaret, in iis ſectatorem habuit *Galeacium*: qui *Genevam* patre & conjuge ac liberis relictis conceſſit. Cum aliquoties cum patre primum in *Italia*, & poſtea cum patre ac conjuge ſimul collocutus, nec illius reverentia, nec amore hujus, aut liberorum collo paterno hærentium blanditiis ac lacrymis adduci poſſet, ut propoſitum mutaret.

Martinus Chemnitius. Qui literas primas ſub *Philippo Melanchthone* imbibit: dein

dein ſe totum Theologicis ſtudiis mancipavit. In quibus aſſiduo labore tantum profecit, ut poſt *Philippi* præceptoris obitum, Theologorum *Auguſtanæ Confeſſionis* facile princeps inter ſuos habitus ſit.

Ludovicus Lavaterus & *Rodolfus Gualterus*, ambo *Tigurini*, & illius Eccleſiæ paſtores. Et ille quidem multis editis ſcriptis, etiam extra religionis controverſias claruit: Hic *Homiliaſtes* inter ſuos celeberrimus.

Matthæus Weſenbeſius, *Jus Civile* magna cum laude *Witembergæ* profeſſus, editis compluribus ſcriptis.

M. D. LXXXVII.

Elias Vinetus. Qui non ſolum juventuti erudiendæ in *Aquitanica* Schola operam ſedulam navaverat, ſed etiam ſcriptis doctiſſimis *antiquorum* monumenta plurimum illuſtravit.

Jac. Skekius, profeſſione *Medicus*: qui *Ariſtotelem* & ſcriptis illuſtravit, & viva voce magno Auditorum plauſu ac cœtu *Tubingæ* in Suevia interpretatus eſt.

Joan. Wigandus, magnæ doctrinæ inter Proteſtantes Theologus: qui *Matthiæ*

Flacio in concinnandis Ecclesiasticæ historiæ *Centuriis* operam olim navavit.

Germanus Valens Guelius, ut linguæ Græcæ exactæ cognitione & omni humaniori literatura ac *Poetica* imprimis, sic morum candore ac comitate præstans.

Jacobus Pamelius. Vir & sacræ *Antiquitatis* peritissimus, & cum multis scriptis, quibus eam illustravit, tum una & altera *Tertulliani* & *B. Cypriani* editione magnam gratiam à doctis & piis omnibus consecutus.

Jacobus Maniatus. Qui vere in Deum & patriam pius, ad eximium *Gallici* nominis studium, cum *Regii Fisci* in Senatu patronus esset, generosos atque adeo regios spiritus attulerat: profunda eruditione an facundia major incertum: ab omni ambitu & fuco alienus, & supra omnem opum, quas amplissimas habebat, amorem positus. Nec erat in tanto viro tot rarissimi ingenii dotibus à Deo cumulato, quod merito desiderares præter firmiorem valetudinem: quæ per se debilis, assiduis pro communi salute ac regni dignitate seriis cogitationibus ac studiis multum debilitabatur, eo minore sensu, quo majore animo ad ea ferebatur.

M. D.

M. D. LXXXVIII.

Joannes Wierus. Qui Philosophicis studiis egregie à pueritia instructus, *Henrico Cornelio Agrippæ* (homini comprimis erudito, & magicis superstitionibus infami, ante L. annos, *Gratianopoli* apud nos defuncto) operam in pueritia navavit, adeo erga præceptorem optime de se meritum gratus, ut opus illud, quod diu post *Agrippæ* mortem de hujus præstigiosæ scientiæ vanitate luculentum edidit, ex ea occasione publicasse credatur, *Medicinam* magna cum laude fecit.

Theodorus Zuingerus, eadem professione clarus: quam & editis compluribus monumentis illustravit. Sed majorem illi famam conciliavit ingens opus, cui *Vitæ humanæ Theatro* titulum fecit. Cujus dulci victu & colloquio cum *mihi* postea *Basileæ* magna cum animi voluptate frui contigisset, animadverti virum summa doctrina & rara ingenii elegantia ac candore præditum in digniore se opere industriam exercere potuisse, si non majorem nominis soceri & popularium suorum (qui *spissæ molis* librorum congerie fere gaudent)

gaudent) quam propriæ laudis rationem habuisset.

Bernardinus Telesius. Qui *Antonium* patruum habuit Philosophicis studiis celeberrimum, ab eoque *Mediolani* institutus, postea *Patavii* majores progressus fecit, & *Romam* veniens *Philosophia* ab ipso deinceps traditæ principium fecit: quam cum viris doctissimis, ubicunque eos nanciscì poterat, ingenue communicatam semper indies locupletavit, & amicitiam multorum illius Aulæ procerum, ob morum candorem cum summa eruditione conjunctum promeruit.

Spero Speronius. Qui *Patavii* in patria, ante LXIV. annos *Philosophiam vernacula lingua* publice in ampliſſimo illo Gymnasio professus fuerat: vir multis simul naturæ ac fortunæ dotibus quæ singulæ in singulis valde commendantur, à Deo cumulatus.

Augerius Ferrerius. Medicinam professus; quam & felicissime ac summo judicio fecit, secunda semper artis suæ fama: ad quam exquisitam *Astrologiæ* & aliarum vulgo minus notarum cognitionem artium adjecerat: tanti à *Julio Cæsare Scaligero* (quo nullum majus huic seculo lumen affulsit) æstimatus, ut nihil fere aliqua meditatione dignum, sive in ægrotorum

perplexis

perplexis curationibus, quæ moram patiebantur, sive in privatis studiis inconsulto illo moliretur.

Joannes Auratus, primùm pueris Regiis erudiendis admotus, dein & ob ingenii præstantiam & exactam linguæ utriusque cognitionem, *in Regio Gymnasio* diu professor, postremo emeritus vitam *regio honorario* ad extremam senectutem toleravit. *Poetica* facultate inprimis excelluit; in qua, ut alii ipso docente multum proficerent, sedula felicitate effecit. Extant ejus *Carmina* non ab ipso auctore (etsi id titulus præ se fert) sed à librariis præpostera diligentia, cum alieni nominis dispendio lucrum captantibus, edita: quibus partim aliena, partim quædam etiam ipsius (quæ tamen ille pro suis nunquam agnovisset) inserta sunt. Quæ omnia recenseri non solum tanti viri famæ, sed etiam literariæ rei interest. Quod brevi facturum *Scævolam Sammarthanum* speramus; virum, cum ob morum candorem ac summam integritatem, tum ob raram eruditionem & excellentem ingenii in hoc genere fœlicitatem *mihi* charissimum: qui & summa studiorum consensione ac necessitate cum *Aurato*, dum vixit, conjunctus fuit, & intimos animi ejus sensus plane perspectos habuit: ut minime verendum

sit,

sit, ne quicquid in ea re fecerit, propterea in alieno opere ingeniosus fuisse videatur.

M. D. LXXXIX.

Franc. Roaldesius. Vir in quo pietas & morum candor cum rara doctrina certabant. *Jacobus Cujacius* illum omnis antiquitatis reconditæ locupletem penum appellare solitus erat. *Tolosæ* ad multam ætatem laude cum summa professus, alienam potius industriam juvare, quam proprio nomine inclarescere voluit, nullis fere editis scriptis, cum cottidie super gravissimis *Juris* Quæstionibus & *rei antiquariæ* arcanis, coram & per literas à doctissimis viris consuleretur.

Christopherus Plantinus. Qui secundum *Manutios*, *Stephanos*, *Frobenios* & *Oporinum*, maxime rem literariam juvit, libris innumeris & inter alia *Bibliis*, *ad Complutense exemplar*, sed longe majore operarum elegantia, auspiciis *Philippi* Hispaniarum Regis editis: quæ editio illi quam glorioſa tam detrimentosa fuit, præpostera Ministrorum *Philippi* diligentia: qui pecuniam in id à Rege collatam dum asperius exigunt, *Plantinum* aliunde pecunia

ab

ab amicis mutuo ſumta jam gravatum, pœne merſerunt.

Joan. Sturmius, *Eloquentiæ* profeſſor eximius, quam doctiſſimis ſcriptis illuſtravit, diu *Argentinæ*, magna cum prudentiæ & eruditionis laude, Scholam moderatus.

Henricus Mollerus, vir in *Hebraicis* doctiſſimus, & magni inter ſuos nominis Theologus.

Martinus Cromerus, inſignis rerum *Polonicarum* ſcriptor, qui patriam & conſilio & monumentis editis plurimis juvit & illuſtravit.

Melchior Guillandinus, egregie literis à puero imbutus, præcipue in *hiſtoria naturali* ingenium exercuit, & in rei herbariæ ac foſſilium cognitione excelluit. Pauca tamen, cum multa expectarentur, ejus extant ſcripta: & inter ea Commentarius *de Papyro* ad C. Plinium editus, in quo tamen virum tantæ exiſtimationis multoties hallucinatum eſſe, eruditiſſimus *Joſ. Scaliger* contrario ſcripto demonſtravit.

Jacobus Zabarella, diu Philoſophiam magna cum laude, in illa toto orbe Chriſtiano celeberrima *Academia Patavina* profeſſus, edidit complura in *Ariſtotelem* ſcripta.

Andreas

Andreas Duditius, majore præconio dicendus; vir natalium claritate, ingenio omnium ſcientiarum genere exculto, judicio, rara Latine ſcribendi dicendique facultate, in negotiis explicandis prudentia ac ſollertia præſtans: adhæc totius corporis forma, geſtu & oris renidentis gravitate conſpicuus: comitate, vitæ innocentia, omnium, qui unquam eum viderunt, gratiam promeritus. Tantus verò *Tulliana eloquentia* ſive admirator ſive ſectator fuit, ut totum *Ciceronem* ter propria manu deſcripſerit. Magnas legationes ſub *Ferdinando* & *Maximiliano*, atque etiam *Rodolfo* ſumma fœlicitatis & prudentiæ laude obivit. Tantas tamque laudabiles animi dotes *in Religione levitas* obſcuravit. In eo autem fluctuationis ſalo hærens, hoc temperamentum ſervabat, ut nemini, qui viam veritatis ac ſalutis pectore non ficto aut ambitioſe rimaretur, gravius ſuccenſendum putaret: neque eos qui in religionis quæſtionibus hodie tantopere exigitatis erroneam opinionem tuerentur, modo turbulenta abeſſet pertinacia, pœnis atrocioribus dignos cenſeret. Qua de re contrariæ extant luculentæ Theodori Bezæ & ipſius Epiſtolæ.

Ludovicus Guicciardinus, *Jacobi* F. *Franciſci* celeberrimi & hominum prædicatione digniſſimi

dignissimi Historiarum scriptoris N. ipse *Belgii accuratissima descriptione* optime de illis provinciis, in quibus consenuit & mortalitatem exuit, meritus.

M. D. XC.

Franciscus Hotomanus. Qui literis egregie instructus cum *Juri Civili* operam Aureliani dedisset, ob religionis causam patria profugus *Lausanna* primum docuit, variis editis *de Jure* & aliis ad antiquitatis & politioris literaturæ illustrationem toto vita tempore operibus. Quæ simul postea *Jac. Lectius J. C.* sicuti ab autore paullo ante mortem recognita ac digesta erant, publicavit.

Jacobus Cujacius, *Tolosa* natus, rarum non solum *Gallia*, sed universi *Christiani orbis*, in quo literæ & Jurisprudentia vigent, *ornamentum*, à summis Juris conditoribus *Interpres primus & ultimus*: cui, quicquid puræ nativæque lucis ei scientiæ undecunque accessit, ætas hæc habet & postera debitura est. Huic rara felicitate (quod vix aliis post mortem datur) contigit, ut vivus videnſque laude, quam meruerat, frueretur; & in Foro ac subsellis (ubi

(ubi purior Juris veteris scientia, quam ille profitebatur, à *Pragmaticis* nostris minore in pretio habetur) cum alii peculiari quisque nomine suo citentur, ipse per eminentiam *Jurisconsulti* nomine appellaretur. Brevi statura fuit & corpore compacto ac quadrato, nullis fere morbis tota vita (quam continuis & improbis studiis fatigavit) conflictatus: tantumque importuno singultu interdum vexabatur: quem cessatione aliqua & hilariore inter discipulos convictu transigebat. Tam firma valetudine fretus hanc sortem sibi divina benignitate concedi optavit, & vero speravit; ut octogenarius integris adhuc mentis & corporis viribus frequenti auditorio juventuti prælegere posset: quod *Philippum Decium* (qui Pisis ante XXC. annos docuit) fecisse meminerat. Eâ fiduciâ, *divinum Observationum Opus*, cujus singuli Libri XL. capitibus absolvuntur, ad XL. usque libros perducere decreverat, eumque tibi vitæ & scribendi finem præscripserat. Verùm Civilium bellorum fœda suborta tempestate, cum vir, ut professione, sic moribus, juris & æqui observantiss. Se ad cædem oculis designari videret, mœrore confectus obiit.

Gul. Salustius Bartassius. Qui nobili familia in *Auscis* natus, militaribus studiis

à

puerò innutritus, eorum feritatem dulci Musarum consortio ita temperavit, in eaque facultate tam feliciter excelluit, ut quanquam vitio nationis à puritate Gallici sermonis alienus, & inter arma & tubas procul à doctorum commercio adultus, *Hebdomade* illa toties recusa, & ab aliis Latinè & Italicè certatim expressa, perillustre inter hujus seculi poetas nomen meruit, proximumque à *Ronsardo* nostro locum tenere à multis existimetur.

Robertus Garnerius, in *Cænomanis* natus, poetica & ipse facultate clarus; quam in Cothurno Tragico præcipuè exercuit, editis IX. *Tragœdiis*.

Jo. Bapt. Benedictus. Fuit excellens *Mathematicus*. Unicam filiam *Ludovicam* nomine habebat, quam turbato ordine extulit, cum ejus tristem obitum multo ante prædixisset. Latine fere nesciebat, & cum *emendicato calamo* in scribendo egeret, *Francisci Mariæ Vialardi* fere opera usus est. Ejus sunt, quæ contra *Silvium Pellum de proportione* scripsit: *Physicæ*, item *Mathematicæ speculationes*: *Gnomonica*: in qua, *Solaria* Analemmate suo dignitati pristinæ restituisse creditus est. Quæ omnia publicata sunt: reliquit & multa non edita, magno Reip. bono olim lucem visura.

Jason Denores Cyprius, & nobilitate generis & eruditione clarus, XIII. totos annos moralem Philosophiam in *Patavino* Gymnasio professus. Inter alia, quæ scripsit, cùm de Poetica differens, *Tragicomædias Pastorales*, quæ hodie inter Italos usurpantur, tanquam monstra quædam & nullo veterum exemplo, contraque poeticæ priscæ leges ab imperitis rei antiquariæ introducta exagitasset; *Baptista Guarinus* lectissimus Eques Ferrarienſis (qui sub id *Pastorem fidum* magno plausu ubique in Italia exceptum ediderat) eum sermonem ad injuriam suam pertinere existimans, defensionem sub nomine *Verati* publicavit.

Julius Alexandrinus. Qui *Medicinam* fœliciſſime sub *Cæsaribus* fecit, & multa scripsit: *Maximiliano* autem valetudinario principi cariſſimus fuit, ab eo ampliſſimis honoribus donatus.

Flaminius Nobilius, Philosophiæ cultioris peritiſſimus, & extrema ætate Theologiam professus, operâ egregiè navatâ in Latinorum *Bibliorum à Sixto* V. procuratâ editione.

Hieronymus Zanchius Italus. Scripsit multa, quæ profundæ in *Theologicis* studiis eruditionis fidem faciunt: quorum partem, dum vixit, in lucem dedit, partem

filii,

filii, quos plures reliquit, post mortem ejus publicarunt: summamque in scribendo moderationem servavit, & à sciſſura olim sarcienda minime se alienum ostendit. Annum quippe agens LXX, *Fidei Confessionem* ad Ulixem Martinengum Comitem Barchensem & patricium Venetum scripsit, & tam suo quàm familiæ propriæ nomine (sic enim titulus præfert) edendam curavit. Qua protestatur, "se à "Romana Ecclesia non simpliciter & in "omnibus defeciſſe, sed in illis duntaxat "rebus, in quibus ipsa defecit ab Apostolica, atque adeo *à seipsa* veteri & pura "Ecclesia: neque alio discesſiſſe animo, "quàm utsi correcta ad priorem Ecclesiæ "formam redierit, ipse quoque ad illam "revertatur, & communionem cum ea in "suis porrò cœtibus habeat: quod ut tandem fiat toto animo Deum comprecari. "Quid enim pio civi optatius, quàm "ut ubi per Baptiſmum renatus est, ibi "etiam in finem usque vivat, modo in "Domino?

Nicodemus Friſchlinus. Qui cum ingenio, nec mediocri ad *Poeticam* facultate & *Aſtronomicæ* rei scientia valeret, vita solutiore & impotenti blaterandi libidine, non solum famam literis quæsitam obscuravit, sed fortunam suam omnino

evertit, ac postremo indignum vita literaria exitum habuit.

Fr. Salinas, vix decennis oculorum usum amisit, cum *Didymo Alexandrino* quadantenus ob id comparandus: quippe indole innata fretus, dum orbitati solatium quærit, tantum valuit, ut non solum exactam utriusque linguæ cognitionem sit adeptus, sed etiam in *Mathematicis* artibus maxime excelluerit; ac præsertim in *Musica*; de qua eruditissimos libros reliquit, qui tanti à peritis harum rerum fiunt, ut aliunde potius quàm ab hominis industria profecti credantur. Inter hæc & *Poeticam* excoluit, & ex *Martiale* Hispano ipse Hispanus quædam felicissimè lingua vernacula transtulit.

Ambrosius Morales Cordubensis, in literis humanioribus & antiquitate patria indeganda egregie doctus. *Compluti* oratoriam professus est, & libris editis *Historiam patriam* valde illustravit.

M. D. XCI.

Jac. *Amiotus*, humili loco *Melodunî* patre *lanio* natus, ob magnam eruditionem *Caroli* IX. & *Henrici* III. pueritiæ erudiendæ appositus, & ab iisdem admodum

dum opimis sacerdotiis ditatus, ac *Episcopatu Antissiodorensium* & *magni Elemosynarii* dignitate ornatus. Huic *Heliodori Æthiopica*, & *Longi Pœnenica* vernacula lingua feliciſſime expressa debemus: quanquàm suppresso interpretis nomine edita sunt. His præludiis periculum ingenii fecit, quod in majorum vigiliarum operibus postea exercuit, *Diodoro*, ac præcipue *Plutarcho*, licet majore plerumque elegantia quàm fide, *Gallice* redditis.

Antonius Chandeus. Qui primum *Zamariel*, dein *Sadeël*, nomine ex Hebraico detorto dici voluit, antiqua nobilitate in *Segusianis* ortus. Scribendo seu docendo totos XXXVI. annos insumsit, inter suos magno in pretio habitus. In quo præter gentis nobilitatem, oris venusta facies, eruditio, eloquentia cum singulari modestia certabant.

Hugo Donellus, clariſſimus *Juris* interpres: eò minore fama decessit, quod *Cujacii* famæ voce & scriptis obstrepere tota vita pro ludo habuerit.

Adolphus Metkercus, patricius *Brugensis*, vir literis egregie instructus: qui cum per eas inclarescere cæpisset, æstu motuum, qui *Belgium* concusserunt, abreptus, totam vitam legationibus obeundis ac negotiis tractan-

dis, *Ordinum* primarius consiliator consumsit.

Victor Giselinus. Qui *Lovanii* cum *Justo Lipsio* & *Jano Lernutio* prima in literis fecit stipendia, & inde simul in Sequanos *Dolam* profecti sunt. Ipse in ea urbe Doctoris Medici cepit insigne, angustia rei domesticæ pressus, & à *Lipsio* luculenta oratione laudatus est: otio & Musis quam arti suæ addictior: cujus rei fidem fecerit vel *Ovidiana Metamorphosis* tanto studio ac diligentia edita. In *Prudentio* poeta Christiano, quem & castigatiorem edidit, majora commentatus est, quæ non perfecit. Partem enim *Jani Lernutii* fidei commisit.

Anton. Carafa Card. Vir pietati & studiis devotus, *Juri canonico* emendando, decretalibus Epistolis colligendis & *Bibliorum* Græcorum ac Latinorum, quæ Sixti V. auspiciis facta est, editioni præfuit: & cum in *Conciliis* Græcis ac Latinis concinnandis laboraret, morte præcipitata gloriam præreptam *Friderico Borromæo* Cardinali suarum virtutum æmulatori transcribit.

Laurentia Strozzia, meruit sive moribus, sive eruditionis in hoc sexu raræ præstantia, ut quanquam latere voluerit testimonio nostro innotescat. Quæ cum vitam religiosam

religiosam septennis voviſſet, Græcam Latinamque linguam in illa ſolitudine apprimè didicit; & *Hymnos Latinos* in cunctos feſtos dies juxta Eccleſiæ Romanæ uſum, & *Horatii* imitatione fœlicitate mira panxit.

M. D. XCII.

Augerius Giſlenius Busbequius, vir eruditione, rerum agendarum peritia, candore & probitate inſignis: qui unam atque alteram legationem ad *Portam Othomanicam* ſub *Ferdinando Cæſare* magna ſua cum laude geſſit, & elegantiſſimis ac lectu jucundiſſimis *Epiſtolis* explicavit. Ex quibus quamplurima in *Annales meos* me tranſcripſiſſe ingenue profiteor.

Jo. Vincentius Laureus, *Patavii* literis operam dedit, ubi utriuſque linguæ cognitione ſibi comparata, ad *Philoſophiæ* & *Medicinæ* ſtudia eadem ingenii felicitate ſe contulit, in qua plurimum excelluit. Familiaritate uſus *Hugonis Boncompagnii*, meruit ut (dulci honeſtiſſimæ inter ipſos amicitiæ animum olim ſubeunte recordatione) ab eo poſtea Pontifice creato in Collegium Card. cooptaretur. Magni pretii *ſupellectilem* omnem Congregationi ægris inſervi-

entium legavit, ut qui ex scientia ægrotos curandi prima fortunæ incrementa ceperat, eosdem hæredes haberet.

Michael Montanus, *mihi* studiorum & voluntatum consensione conjunctissimus. Vir libertatis ingenuæ: quam *Conatus* ejus (sic enim immortalia sui ingenii monumenta indigetavit) ad omnem posteritatem testabuntur.

Fridericus Furius Cæriolanus. Qui cum prima literarum stipendia *Lutetiæ* fecisset, inde *Lovanium* profectus cum *Bononia Siculo* Theologiæ professore *de Bibliis* in vernaculam linguam vertendis acri disceptatione contendit, eamque in scripto comprehensam in Germaniam profectus publicavit, atque ob id censoriæ notæ postea acumine perstrictus est. Scripsit & *de Consiliis*, & *de Consiliarii officio*.

M. D. XCIII.

Latinus Latinius, ultimum gentis Latiniæ caput: qui sacris veterum *Patrum* libris emendandis, ac præcipuè *Tertulliano* ad MSS. codices recognoscendo operam tota vita navavit.

Joannes Leunclaius, *Juris* Rom. Græcique consultissimus, & Rerum *Turcicarum* apprime

apprime peritus : ad quas linguæ ipsius Byſantinâ peregrinatione comparatam cognitionem, exactam ultimæ Hiſtoriæ Græcæ lectionem, & acre ac admirandum judicium attulit. Quod non ſolùm in ſcriptis ab ipſo, dum viveret, publicatis, ſed in iis quæ poſt mortem ejus publicata ſunt eluçet. Non ſolum ſui, ſed & *Conſtantinopolitanæ Hiſtoriæ*, cujus ſpem fecerat, incredibile deſiderium reliquit.

M. D. XCIV.

Franc. Foxius Candala, longe illuſtriſſima familia natus, ſed eruditione ac moribus multo illuſtrior. Qui modicam in literis inſtitutionem, feſtinata honorum prenſatione, jam in ipſa pueritia interruptam ſuopte ingenio ſupplevit : & quæ vix alii optimis præceptoribus præeuntibus percipiunt, inſita ad artes ac præcipuè Mathematicas perdiſcendas natura facili ita in teneris annis hauſit, ut earum amorem ac ſtudium toto longiſſimæ ac honorificentiſſimæ vitæ curſu nunquam intermiſerit, & in illis multa adinvenerit, atque ad veterum ſcita ingenii facilitate addiderit : ultimo elogio ſummam pietatem & caritatem non ſolum erga genus humanum ſed etiam

etiam erga literas teſtatus, cum & in *Antidoti Salutaris* à ſe reperti confectionem, ne ſumtui parcituri deterrerentur, & in Mathematicam profeſſionem Burdigalæ inſtitutam annuum vectigal legavit. Opera ejus, quamdiu orbis ſtabit, durabunt: Et imprudens ſim, ni tanti nominis commemoratione immenſis laboribus noſtris decus addi ſperem.

Plautus Bencius. Vir candidis moribus, ac miti ingenio, magnatibus ac literatis æque gratus; qui *M. Ant. Mureto* noſtrati operâ Romæ navatâ tantum *Latine* ſcribendi facultate ſive verſibus ſive ſoluta oratione valuit, ut digniſſimus tanto præceptore diſcipulus haberetur. Poſtea ſodalitio *Jeſuitico* nomen dedit; & *Plauti*, quod parentes indiderant, nomen in *Franciſci* mutavit, & elegantiſſimis *orationibus* ac *verſibus* in ea ſocietate editis opinionem de ſe conceptam ſuperavit.

Claudius Puteanus. Qui à puero ſub optimis Magiſtris literis operam dedit. Inde *Jus Civile* ſub principe Juriſperitorum *Jacobo Cujacio* didicit, & variis in peregrinationibus doctiſſimorum toto orbe virorum familiaritate uſus *Urſini*, *Victorii*, *Manutii*, *Sigonii*, ipſorum teſtimoniis meruit, ut primas inter literatos teneret, honorificè ubique in eorum ſcriptis appellatus.

tus. Nam nihil ſcripſit, judicioque peracri, quo in cenſendis aliorum ſcriptis plurimum valebat, potius alienæ gloriæ quam propriæ ſervivit. Demum in ordinem ampliſſimum cooptatus, ut in literatorum conſeſſu, ſic in illo ſenatu principem locum facile tenuit, cunctis ejus incorruptam probitatem, in enodandis Juris Quæſtionibus profundam doctrinam, in ſolvendis litium tricis ſollertiam ſtupentibus.

Gerardus Mercator. Qui *Silvæ-Ducis* ſub Georgio Macropedio primis literarum rudimentis initiatus, poſtea *Lovanii* Philoſophicis ſtudiis ac Mathematicis dein artibus ſe totum mancipavit: & admodum juvenis ad ſculpendas *Tabulas* animam applicuit, *Gemma Friſio* præceptore & auctore. *Claudii Ptolomæi Tabulas* reſtituit ac elegantiſſime deſcripſit. Cumque de edendis *totius orbis Tabulis* jam à ſe elaboratis cogitaret, cognito *Abrahamum Ortelium* idem opus urgere, inchoatum laborem inhibuit, donec *Ortelius* exemplaria omnia ſua diſtraxiſſet, ne aut induſtriæ aut commodis viri amiciſſimi præcipitata ſuorum editione officeret. Poſtea jam inclinata ætate, ad Theologica ſtudia animum adjecit: & *Harmoniam Evangelicam* & alia in ſacros libros conſcripſit: cum *Chronologiam* antea ſcripſiſſet ad Solis & Lunæ curſum exactiſſime

actiſſime putatam. Quam *Onufrius Panuinus* harum rerum acerrimus judex tanti fecit, ut omnibus ab aliis ubicunque editis præferre non dubitaverit.

Orlandus Laſſus, rei *Muſicæ* præſtanti ſcientia noſtra ætate clariſſimus. Is, fato excellentium Symphoniacorum, adhuc puer ob vocis ſuavitatem aliquoties plagio raptus. Poſtea à *Carolo* IX. Rege magnis præmiis invitatus, ut Muſici chori ſui, quem generoſus princeps circa ſe ſemper lectiſſimum habebat, magiſterium ſuſcipere, cum in eo eſſet, ut familiam & fortunas ſuas in *Galliam* transferret, ſuperventu mortis Caroli, de via, in quam jam ſe dederat, revocatus, rurſus quam *Alberto* parenti (*Boiariæ* Duci) eandem *Guilielmo* ejus filio operam addixit: & *Cantionibus harmonicis* tam ſacris quam profanis omnium linguarum paſſim XXV. annorum ſpatio editis celebratiſſimus fuit.

Cornelius Bonaventura Bertramus. Genevæ linguam Hebraicam publice docuit, ac *Theſaurum Santis Pagnini* magna acceſſione ex obſervationibus *Joannis Mercerii*, *Covallerii*, ac ſuis locupletatum edidit: nec non & *Hebraicæ* linguæ & *Aramææ* comparationem: & *de politia Judaica* Commentarium, qui ex omnibus

bus ejus operibus maxime commendatur. Postea *Lucubrationes Frankentalenses* publicavit.

M. D. XCV.

Lævinus Torrentius, patria *Gandensis*. Qui cum literarum tyrocinium in pueritia *Lovanii* feciſſet, *Bononiæ* Juris Civilis & melioris antiquitatis cognitionem non vulgarem adeptus eſt; doctiſſimorum virorum, qui tunc in Italia florebant, *Patavii*, *Romæ*, *Venetiis* conſuetudine uſus, ingeniumque in pangendis verſibus præcipue exercuit. Poſt *Franciſcum Sonnium* primum *Antuerpiæ* Epiſcopum ea dignitate ornatus eſt.

Torquatus Taſſus. Vir admirabili ac portentoſo ingenio; qui inſanabili in adoleſcentia *furore* correptus, nihilominus per dilucida intervalla, tanto judicio, elegantia, ac caſtiſſimo ſtylo plurima & ſoluta & pedibus aſtricta oratione ſcripſit: ut *miſericordiam*, (qua plerique ejus vicem proſequebantur) tandem in *ſtuporem* verterit; dum furore illo (qui in aliis mentes efferat aut hebetat) ingenium ejus veluti *defæcatum*, in rebus inveniendis expeditius, inventis apte digerendis acutius,

acutius, & ſententiarum gravitate ac verborum delectu ornandis copioſius à morbo ſurgit; & quod ſaniſſimus quiſque vix ſumma cura ac labore per otium extunderet, ipſe poſt violentam mentis emotæ agitationem ſponte ac felicitate mira perficit: ut non alienatione mentis perculſus, ſed æſtro divino percitus videretur.

Reinerus Reineccius. Qui *Syntagmate genealogico, ac hiſtorico* ſumma diligentia ac fide concinnato aliiſque ſcriptis magnam gratiam à ſtudioſis inivit.

Michael Neander. Qui in *Iſfeldienſi* Schola totos XL. annos trium linguarum cognitione clarus docuit.

Valens Acidalius, adoleſcens ſummæ ſpei & eruditionis: qui poſt *Italicam* peregrinationem morbo familiari, quem ex nimiis vigiliis in adornandis *Plautinis divinationibus* contraxerat, acerba morte deceſſit.

Gulielmus Whitakerus, magni nominis inter ſuos Theologus: qui *Fuelli* Sariſberienſis ſive imitatione ſive æmulatione, cum *Edmundo Campiano*, *Joanne Duræo*, *Thoma Stapletono*, aliis, totâ vitâ ſcriptis diſputavit.

Philippus Nerius. Qui ſecundâ ſanctitatis vitæ famâ *Romæ* diu vixit; *Congregationem*

tionem Presbyterorum oratorii fundavit; *Cæsari Baronio* ex eodem sodalitio sacerdoti Annalium Ecclesiasticorum adversus Magdeburgicorum Theologorum Centurias scribendorum auctor fuit. Ejus vitam scripsit *Ant. Gallonius.*

M. D. XCVI.

FRanc. *Toletus*, *Cordubæ* (utriusque *Senecæ* cunis nobilissima *Bæticæ* civitate) natus. Qui animi virtutibus & sedula institutione, quod ipsi à natalibus deerat supplevit, Salmanticæ brevi magnum nomen adeptus: ita ut *Philosophiæ professor* prima adolescentia fuerit, quod non nisi jam ætate provecta alii consequuntur. Postea pietatis studiis cum se totum devovisset, *Jesuitico* sodalitio nomen dedit, & *primus* ex ea societate in Collegium *Cardinalium* cooptatus est. Scripsit multa: quorum præcipua sunt, quæ in *Aristotelem*, deinde in *Joannem*, *Lucam* & *Epistolam ad Romanos* edita sunt, *Conciones* ab eo habitæ, & scriptis postea mandatæ, nondum lucem viderunt.

Petrus Angelius, variis peregrinationibus in adolescentia per *Græciam* & *Asiam* exercitatus, & postea *Pisis* complures anno

annos in florentissimo Gymnasio humaniores literas professus. *Poetica* præcipue excelluit, & *Cynegetica* ejus ac *Syriae* merito inter compluta alia egregia excellentis illius ingenii monumenta commendantur.

Fridericus Sylburgius. Qui quam plurima veterum, præsertim *Græcorum*, scripta partim jam edita, denuo recognita, ac variis lectionibus, notis indicibusque illustravit, partim primum ipse *summa cura* adhibita publicavit: eoque nomine magnam ab omnibus, qui rei literariæ consultum cupiunt, & à posteritate non ingrata inivit gratiam.

Joannes Duza F. Juvenis admirabili ingenio, excellenti doctrina cum rara morum suavitate conjuncta præditus, cum ex peregrinatione longinqua rediisset, quasi *in portu naufragium* fecit, anno ætatis XXIV. ereptus.

Nicholaus Vignerius, Medicus. Inter Philosophiæ & præstantissimæ illius scientiæ, in qua feliciter excelluit, studia præcipuam habuit Historiæ omnis & temporum ad exactum calculum putatæ rationis cognitionem: & jam ante *Onufrii Panvini* & *Caroli Sigonii Fastos* editos illustrandæ antiquitati Rom. eandem curam impenderat, ab iis interdum diversa sentiens.

tiens. Et tamen cum illi prævertissent, ne actum agere videretur, ab iis edendis, qua erat modestia abstinuit: & *de Fastis* Commentarium vernacule scriptum, quo tantum quosdam eorum annos in antiquitate controversos discutit, publicare satis habuit. Multa præterea illustrandæ *Historiæ* scripsit, sed inter alia insigne extat *opus Chronologicum*: & *Ecclesiastica Historia* Auctori posthuma.

Joan. Bodinus, in *Andibus* natus, & puer (ut quidam certo affirmarunt) in *Carmelitarum* Cœnobio vitam religiosam professus, dein voto immatura ætate facto solutus, gnaviter literis operam dedit; linguarumque non vulgari peritia sibi comparata, omnium artium circularem ambitum animo ingenti complexus est. *Oppiani Cynegetica* eleganter Latine ac scite vertit, & doctissimo *Commentario* interpretatus est. Post *methodum Historicam*, & *de re monetaria* accuratas dissertationes, Opus magnum *de Repub.* Gallice publicavit. In quo ut omni scientiarum genere non tincti sed imbuti ingenii fidem fecit: sic nonnullis, qui recte judicant, non omnino ab ostentationis innato gentis vitio vacuum se probavit. Postea & *Damonomaniam*, & *Naturæ Theatrum* publicavit.

Antius Fortius, Lutetiæ Parisiorum post utriusque linguæ exactam peritiam, & Philosophiæ decursum curriculum, *Medicæ Laureæ* sumsit Insignia & XL. annos Medicinam summæ peritiæ ac felicitatis laude fecit. *Hippocratem* opus multarum vigiliarum aggressus, Græca ad MSS. exemplaria & pleraſque editiones contulit, & exacto studio elaboratam versionem & Commentarios addidit.

Q. Septim. Florens Christianus, sic dictus, quod numero *quintus* ex compluribus liberis *septimo* mense natus esset: utriusque linguæ peritia & *versum* iisdem linguis pangendorum laude cum priscis ipsis comparandus: adhæc ingenio excelso & liberali præditus. Pleraque scripsit Græcè & Latinè, nec non & vernacula lingua. Quorum majorem partem apud *Clandium* filium adhuc latent, aliquando lucem magno studiosorum & elegantiorum ingeniorum bono visura.

Petrus Pithœus. Vir nostra ætate *maximus*, sive *probitatem* morum & veram nec fucatam *pietatem*, sive *ingenium* excellens, exactamque & omnium rerum, quas perspectas habuit, (habuit autem plus quàm alius quisquam multis retro seculis) reconditam *cognitionem*, & tum in suis tum in alienis cernendis acre & ab omni livore purum

purum *judicium* ſpectes. Nemo meliùs unquam *unum* quempiam Auctorem novit, quam ipſe *omnes* antiquos utriuſque linguæ ſcriptores, quos ad unum legerat, ad vetera contulerat exemplaria, & concoxerat. Nemo privata & domeſtica negotia exactius tenuit, quam ipſe *Gallicam* externamque Hiſtoriam, origines populorum, deſcriptiones temporum, ſucceſſiones familiarum, bella, fœdera, conventiones, vel exterorum inter ſe vel nobiſcum geſta, leges, mores, conſuetudines provinciarum, ſingularumve urbium. Quarum omnium rerum à teneris annis indefeſſo labore ſibi perfectam notitiam tum ex vulgatis libris, tum etiam ex bibliothecis antiquis, archivis regiis, Senatûs, Rationalium, Urbium, Monaſteriorum comparaverat: Inſtrumentorumque ipſorum atque Actorum bonam partem *propria manu* deſcripſerat. In *Jure* autem Civili Romanorum ad illud faſtigium pervenerat, ut de eo celeberrimoque ejus præceptore *Fac. Cujacio* dici jure potuerit, *Hunc diſcipulo præripuiſſe ne primus Juriſconſultus eſſet, illum præceptori ne ſolus.* Præter innumera veterum ſcripta è tenebris, dum inter nos degeret, primum erута, aut meliora publico data, moriens reliquit *Conciliorum Gallicorum* diligenter conquiſitorum ac digeſto-

rum collectionem *Franciſci* fratris viri doctiſſimi fidei commiſſam. Incomparabilis amici morte, quicum partiri curas, & non ſolum de ſtudiis, ſed etiam de Rep. conſilia communicare conſueveram, cœptæ *Hiſtoriæ* penſum protinus è manibus excuſſerim abjeciſſemque prorſus; niſi tanti viri & de me ac patria tam bene meriti memoriæ hoc debere exiſtimaſſem, ut quod *illo auctore* inchoaveram ad publicam utilitatem (cui noſtram in ea parte induſtriam prodeſſe olim judicabat) quamvis tanto *adjutore* deſtitutus, aliis undecunque (quæ ab illo ſolo ab initio ſperaveram) conquiſitis ſubſidiis ad exitum tandem perducerem.

M. D. XCVII.

Gilbertus Genebrardus. Qui diu literas *Hebraicas* magna frequentia in Regio Auditorio *Lutetiæ* docuit: in ſcriptis ſuis, quæ complura & multijugæ eruditionis plena evulgavit, iniquior & acerbior, & *vita* quam *ſtylo* temperatior creditus.

Suffridus Petrejus. Qui veterum *Græcorum* ſcriptis in *Latinum* vertendis animum applicuit, & poſtea à *Friſiæ Ordinibus*

bus invitatus, origines, colonias, nobilitatem, libertatem, jura gentis ſuæ illuſtranda ſuſcepit. In quibus altius repetendis dum admiſtis *fabularum* figmentis nimium ſtylo indulget, multorum reprehenſiones incurrit: ut *Uboni Emmio* (qui eandem provinciam ſumma fide ac admiranda ſimplicitate poſtea executus eſt) potius lampada tradidiſſe, quàm ei in ſcribenda hiſtoria patria præluxiſſe videatur.

Gabriel Palæus Card. *Juris Civilis* ſcientia, ac *Theologicis* ſtudiis, vitæ ſanctimonia, morum gravitate inſignis, ſcriptis etiam in illa fortuna editis ad poſteritatem egregium nomen promeritus.

Aldus Manutius. Cujus majores tantum rei literariæ contulerunt, quantum ſuperiorum temporum barbaries illi abſtulerat: ipſe *Bononiæ* literas humaniores magna frequentia profeſſus eſt, & editis tam propriis quam paternis ad omnem æternitatem victuris monumentis, longe maximam ab omnibus gratiam meruit.

Fr. Patricius. Qui literis Græcis & Latinis egregie inſtructus ad Philoſophiæ ſtudia animum applicuit: ſed dum ex ingenio ſuo natas & à communi plerumque ſenſu abhorrentes ſententias in ſcriptoribus interpretandis conſectatur, à pleriſque

reprehensus, & in *Peripateticis disputationibus*, ac nova *de Universis* Philosophia, complures adversarios habuit. Et *novam Philosophiam* quidem censura notatam paullo ante mortem retractavit.

Fran. Raphelengius, *Christ. Plantini* gener; qui in Typographica cum egregiam sub socero operam diu navasset, relicta *Antuerpia*, *Lugdunum Batavorum* concessit, & linguarum Orientalium (vel teste *Scaligero*) valde peritus, etiam *Arabicam* publice magna cum laude professus est: de qua *Lexicon posthumum* ab eo dum viveret, summa cura & labore compositum prodiit.

Hier. Commelinus, rem literariam multum juvit, editis tum *veterum Graecorum* plurimis nunquam antea editis monumentis, tum *Athanasio* inprimis, & *B. Jo. Chrysostomi* magna operum parte, in quibus & propriâ industriâ multum contulit.

M. D. XCVIII.

Benedictus Arias Montanus, *Linguae sanctae* apprime peritus ac summe pius: *Bibliis Complutensibus* elegantiore forma recudendis à *Philippo* destinatus, egregiam

egregiam admodum operam in eorum editione *Antuerpiæ* navavit.

Abrahamus Ortelius. Qui rei *Geographicæ* ab ineunte ætate ſtudioſus maxime eam partem nulli labori aut ſumtui parcens illuſtravit: neque ob id peregrinationes longinquas ſuſcipere, ac multorum tota vita repetere recuſavit: edito pulcherrimo *Orbis terrarum Theatro*, & renovata antiquorum locorum per *Tabulas* propria induſtria eleganter depictas memoria: *Synonymorumque* ingenti opere edito.

Joachimus Camerarius, *patris* ſcriptis colligendis & edendis, & arte ſua & conſilio non ſolùm principes viros, ſed & amicos & probitatis ac eruditionis nomine ſibi commendatos pleroſque tota vita demeruit.

Dominicus Lampſonius. Qui in *Pictura* & *Poetica* ſe pari felicitate exercuit; & ut vicem *Lamberto Lombardo* præſtantiſſimo pictori, (quo Magiſtro in ea arte uſus erat) redderet, ejus *vitam* accuratiſſime deſcripſit.

Henricus Stephanus Roberti, cui tantum res literaria debet, F. *Lutetiæ Pariſiorum* natus: qui patris æmulatione cum ſcriptoribus *Græcis* edendis & caſtigandis ſedulam operam navaſſet, tandem & penum

ampliſſimam linguæ *Græcæ* dedit, de ſua poſteraque ætate ob id optime meritus.

M. D. XCIX.

Paulus Peruta patricius *Venetus*. Vir rara in explicandis negotiis ſolertia & eloquentia : quas virtutes variis *legationibus*, & *ſcriptis* (quæ magno in pretio inter prudentiæ Civilis ſectatores merito habentur) conſignavit.

Joſephus Zarlinus, *Muſicæ* artis ſcientia, quam doctiſſimis illuſtravit *Commentariis*, clariſſimus.

Alfonſus Ciaconus, rei antiquariæ peritiſſimus, & ſecundum *Petrum Ciaconum Toletanum* cognominem potius quam gentilem ſuum, ſuæ *Hiſpaniæ* magnum lumen.

Garſias Loaiſa, in ſacræ Hiſtoriæ veritate indaganda admodum diligens, & *Conciliorum Hiſpaniæ* collectione edita magnam inter ſuos laudem conſecutus, & ut pueritiæ *Philippi* III. erudiendæ apponeretur ob id promeritus.

Jo. Levineius. Qui veſtigiis avunculi (*Levini Torrentii*) inſiſtens, rem literariam non mediocriter diligentia ſua adjuvit, & in *Plantiniana* Bibliorum editione

Græca

Græca cum *Guiliel. Cantero* ſedulam operam navavit.

M. D. C.

Fulvius Urſinus. Vir *Græcè Latineque* doctiſſimus, ac purioris *antiquitatis* indagator diligentiſſimus: qui complura *veterum* utriuſque linguæ ſcriptorum *monumenta*, aut primus edidit, aut edita dedit meliora. Plurimas lucubrationes *Antonii Auguſtini* ſua induſtria publicatas illuſtravit.

Anton. Ricobonus, Patavii diu humanarum literarum & *Rhetoricæ* præcipue profeſſor: qui multa in eo genere ſcripſit, & *Patavini Gymnaſii Hiſtoria* diligenter collecta non mediocrem à ſui Collegii ſodalibus gratiam meruit.

Conradus Daſypodius, nobilis artium *Mathematicarum* profeſſor: quas editis *Græcis* pleriſque nondum vulgatis autoribus illuſtravit.

Carolus Utenhovius, *Gandavi* patricia familia natus, & tota fere vita vagus; ſed in literis & poetica conſtans. In *Dionyſiaca Nonni* (in quibus multum laboravit) quæ habebat, aut pertæſus operis, aut ab aliis prævertus, cum magnam

nam de iis ſpem concitaſſet, non abſolvit.

Petrus Faber. Qui ad clarum familiæ decus probiſſimos mores & ſingularem antiquitatis omniſque divini & humani *Juris* cognitionem attulit; & doctiſſimis ſcriptis præceptoris ſui *Jac. Cujacii* veſtigiis inſiſtens teſtatam ad poſteritatem fecit.

M. D. CI.

JO. Vincentius Pinellus, literis & in literatos præcipuo amore ac ſtudio, prudentia & humanitate clariſſimus. In cujus laudibus commemorandis (quas alii ſingularibus libris fuſius pro merito explicaturi ſunt) ne nimius ſim, nunc *Tito Pomponio* ipſum comparaſſe ſatis habebo: quippe qui *Veneti*, ut ille *Attici*, à Sereniſſ. Rep. quæ ipſum impenſe dilexit, nomen promeritus eſt.

Tycho Brahe, eques *Danus* aſtrorum vera ſcientia & obſervationibus longo tempore in ſua *Uranopoli*, & magno ſumtu factis, omnium concordibus ſuffragiis *principis Aſtronomorum* nomen promeritus. Vir & ſcriptis à ſe editis ſecundum *Ptolomæum*, *Jo. Regiomontanum*, & *Nicolaum Copernicum* inprimis clarus; & poſtea à

J. Kep-

J. Keplero (cui præclaras ingenii sui reliquias, ne perirent, quasi Testamento legavit) publicatis illustrior.

Richardus Strainius, *antiquitatum Rom.* quas & scriptis illustravit, cognitione præstans. Postremo in Theologicis stylum exercuit.

Joan. Heurnius, *Ultrajecti* natus, qui cum ad Medicæ artis studia animum appulisset, ejusque in patria fundamenta jecisset, magnos in ea scientia progressus *peregrinatione* fecit, & in patriam reversus, erecta *Lugd. Bat.* anno MDLXXXI. Academia, ad Medicam professionem cum *Remberto Dodonæo* honorifice à Curatoribus evocatus, in studiis assiduus consenuit, editis pleriſque scriptis.

David Chytræus. Qui tot virûm, quantum in ipso fuit, *memoriam* ab oblivione asseruit, ne ipse indictus relinquatur, meruit: diu *Rostochii* professus.

M. D. CI I.

Lazarus Superantius, patricius Venetus, cujus extat *de rebus Turcicis* magni judicii ac prudentiæ Commentarius.

Maximus Margunius, natione *Græcus*, qui *S. Patrum* aliquot reliquias è communi

muni naufragio vix ſervatas & ſecum aſportatas publico dedit: & ſua quædam eleganti ſtylo, nam *Poetica* excellebat, admiſcuit.

Paulus Meliſſus Schedius. Qui ingenium *Poeticæ*, ætatem peregrinationibus exercuit. *Heydelbergæ*, *Bibliothecarii* munere fungebatur.

Martinus Rolandus, *Cæſareus Medicus*, ſcriptis editis clarus.

Gaſper Peucerus, eadem profeſſione & *Mathematicarum* præterea ſcientiarum cognitione clarus. *Philippi Melanchthonis* gener longa vita & ſcriptis ac fortuna clarior.

Franc. Junius. * Vir *deſultorio* ingenio: qui multa conatus, an adſecutus ſit quod moliebatur, doctorum erit judicium.

* *Ad hanc Cenſuram vide Reſponſ. doctiſſimi Gerard. Voſſii in præfat. ad Hiſt. Lat.*

Joan. Paſſeratius, *Latinæ* linguæ profeſſor digniſſimus: qui felicitate *verſus* pangendi, etiam *Gallicos*, & ſoluta oratione ſcribendi ac bonos ſcriptores interpretandi diu magnam laudem in *Pariſienſi* Academia meruit. Homo emunctæ naris, & cui aliena vix placerent, ultimo elogio vovit, *ne manes ſui malis carminibus onerarentur.* Itaque pauci mortuum laudarunt, dum verentur ne voto ejus minus reſpondeant. *M. D.*

M. D. CIII.

Andreas Caſalpinus, præſtantiſſimus *Peripateticus*, qui diu *Piſis* docuit & ſcriptis famam nominis propagavit.

Franc. Vieta. Vir ingenioſa & profunda meditatione: cujus vi nihil illi inacceſſum in abſtruſioribus ſcientiis; nihil, quod acumine mentis poſſet confici, difficile confectu fuit. In *Mathematicis* præcipue induſtriam inter alias occupationes & negotia (à quibus capax & indefatigabile ejus ingenium nunquam vacavit) tota vita exercuit. In quibus adeo excelluit, ut quicquid ab antiquis in eo genere inventum, & ſcriptis (quæ temporis injuria aut perierunt, aut obſoluerunt) proditum memoratur, ipſe aſſidua cogitatione invenerit & renovarit, & multa *ex ſuo* ad illorum ingenioſa reperta addiderit. Tam profunda autem meditatione fuit, ut ſæpius viſus ſit totum triduum continuum in cogitatione defixus ad menſam lucubratoriam ſedere, *ſine cibo & ſomno*, niſi quem cubito innixus, nec ſe loco movens, ad refocillandam per intervalla naturam, capiebat. Scripta ejus rara, neque tamen pauca, quòd ea ſumtu ſuo cudenda curarer, & exemplaria

emplaria penes se retineret: quæ amici[s] homo longe ab omni avaritia positus, & harum rerum peritis liberaliter distribuebat. *Hadrianus Romanus*, cum problema omnibus totius orbis Mathematicis construendum proposuisset, *Vieta* illud continuò solvit, & cum *Castigationibus* & *Auctario*, & *Apollonio* præterea *Gallo* ad *Romanum* remisit, tanta cum *Romani* admiratione, ut confestim ille iter in *Galliam* corripuerit, ut hominem sibi antea ignotum conveniret, & postea arctam cum eo amicitiam coleret.

Vidus Coquillius Romanius. Qui post obitum illustrior, scriptis ejus publicatis quæ vivus præsserat, nunc vel invitus in hominum memoriam retrahendus est. *Jus Consuetudinarium*, cujus cognitione præcipue excellebat, dum Jus *municipale* proprium interpretatur, maxime illustravit: & *Historiam* præterea *patriam* magna fide ac diligentia scripsit: item accuratissimas *de Gallicana Ecclesiæ juribus* observationes collegerat, quæ plagio perierunt.

M. D. CIV.

JAnus Dusa Norduvicus, nobilissima Batavia familia ortus: qui *Musis cum Marte*

Marte optime convenire ſuo exemplo docuit. *Poetica* præcipue delectabatur; in quâ ingenium varii generis Carminibus editis exercuit: etiam *patriæ Annales* ſcripſit, multiplici lectione, & admirabili memoria promeritus ut *Batavia Varro*, & *Academiæ commune oraculum* vocaretur.

Obertus Giſanius. Is prima literarum rudimenta in *Belgio* ſuo cum imbibiſſet, induſtriam ſuam primum in *T. Lucretio* exercuit. Quem poſt *Michaelem Marullum Byſantium*, qui tantum auctorem miſere interpolaverat, & ſecundum *Dionyſium Lambinum* noſtratem, qui in eo laudabilem operam navavit, nobis meliorem dedit. Dein totum ſe *Juris* ſcientiæ ac *Philoſophiæ* ſtudiis mancipavit, & voce & ſcriptis rem literariam multum promovit.

Hieronymus Mercurialis. Fuit egregia corporis forma, & ſanctiſſimis ſuaviſſimiſque moribus: adhæc doctrina præſtanti, quod multa ejus ſcripta teſtantur, *à diſcipulis* fere publicata, ut ſiquid in iis peccatum eſſet, ea citra famæ & exiſtimationis jacturam emendandi, ſummâ prudentiâ ac modeſtiâ, libertatem ſibi ſervaret. Quædam & in *Hippocratem* & in *Ariſtotelis Problemata* reliquit.

Arnoldus Oſſatus, obſcuris adeo natalibus ut cognatos & adfines prorſus ignoraret,

ret, & pauperes ac domesticos, nullos præterea, hæredes habuerit: sed donis ingenii, doctrina, pietate, morum probitate, & insita prudentia à Deo largissime cumulatus, facile natalium defectum tanta accessione supplevit, ut *Romæ* in amplissimo orbis theatro cæteros omnes natalium splendore & aliis fortunæ præsidiis illustres æquaverit, pleroſque superaverit, æquabili irreprehensibilis vitæ tenore omnium amorem & admirationem promeritus.

M. D. CV.

Pontus Thiardæus Bissianus, in Poetica vernacula primum lusit, dein Mathematicis artibus & *Platonicæ* doctrinæ se totum mancipavit, ac postremo *Theologicis* studiis: in quibus omnibus multa, sed fere *Gallice* scripsit, reconditæ scientiæ ubique plena.

Theodorus Beza, ingenio hilaro ac eleganti, & longa vita satis notus: quam LX. totos annos in studiis & lucubrationibus exegit, eáque tantum provectus, ut antequam moreretur, veris vitæ, quæ eam desiderabilem efficiunt, subsidiis præsenio destitueretur. Siquidem præsentium memoriam, debilitata quippe mente evanidam amiserat,

amiserat, præteritorum dum ingenio valebat impressam servaverat. Itaque & totos *Psalmos Hebraicè*, & quodcunque caput ex *B. Paulli* epistolis proposuisses, integrum Græcè recitabat: nec in iis, quæ olim didicerat, judicio carebat, sed quæ dixerat statim obliviscebatur.

Robertus Constantinus, trium linguarum peritissimus, & Græcæ præcipuè ac Latinæ, qui longam vitam in studiis & peregrinationibus consumsit. Fuit & *Julii Cæs. Scaligeri* domesticus, & Commentaria in partem *Theophrasti* ab auctore non edita post ejus mortem publicavit. Quod à plagii crimine, cujus aliquando infimulatus fuit, eum liberat.

Simo Marionus. Qui *Juris* scientia ac eloquentia præcipue in nostro foro diu claruit, quod *Actiones* aliquot forenses ab eo editæ abunde testantur.

M. D. CVI.

Sofredus Calignonus Navarræ Cancellarius, ingenio, doctrina, rerum usu & in iis explicandis solertia, ac morum suavitate cum paucis comparandus.

Philippus Porta. Is vitam placidam & ad bene de cunctis merendum institutam, in

Poetica noſtra exercuit. In qua excelluit, ut ſecundum *Ronſardum*, *Bellaium* & *Bellaqueum* principatum in ea obtinuerit. Neque minùs propterea rebus maximis gerendis par. *Gallica Pſalmorum Paraphraſis* omni laude digna.

Reginaldus Belnenſis. Hic vir conſtantiſſime *Regias* partes calamitoſiſſimis temporibus tutatus eſt, dicens, *Religioni niſi ſalva Rep. conſuli non poſſe: ſalvam autem Remp. ſervari non poſſe, niſi legitima ſucceſſione ſervata.*

Juſtus Lipſius, victuris ad omnem poſteritatem ſcriptis ſatis ſe illuſtrem toto orbe præbuit. Tota vita *Joſ. Scaligerum* coluerat, ab eo viciſſim redamatus: qui exemplo ſuo alios ad celebrandam ejus memoriam provocavit, ut nullum à ſuis, cum quibus vivebat, illuſtrius monumentum hodie extet, quam quod illi *Scaliger* Lugduni Batavorum à ſe, *Hugone Grotio*, *Dominico Baudio*, *Daniele Heinſio*, aliis ſtructu erexit.

Helias Putſchius. Qui patre elato à vitrico benigne educatus *Lugdunum Bat.* conceſſit, & auctore *Scaligero Grammaticorum Latinorum* editionem aggreſſus eſt: quam & ad exitum perduxit.

FINIS.

Catalogus Virorum Doctorum Alphabeticus.

Acidalius pag. 110.
Agricola 15
Alciatus 7
Alesius 36
Alexandrinus 98
Amalthæus 58
Amalthæus 59
Amsfæus 22
Amiotus 100
Angelius 111
Angelus 36
Apianus 59
Aretius 59
Argenterius 54
Argentinensis 44
Arlenius 30
Aschamus 45
Augustinus 84
Auratus 91
Barbarus 46
Barrosius 67
Bartassius 96
Bellaius 26
Bellaius 27
Bellaqua 66
Belmensis 130
Bembus 2
Benedictus 97
Bencius 106
Bertramus 108
Betuleius 13
Beza 128
Bibliander 35
Bilichius 8
Billius 72
Bissianus 128
Boba 61
Bodenstreinius 67
Bodinus 113
Boetianus 32
Bonamicus 9
Bonefidius 60
Bonfadius 27
Botræus 35
Brabe 122
Brentius 48
Brodæus 32
Buterus 6
Buchanan 75
Bucholtzerus 81
Bugenhagius 21
Bullingerus 62
Busbequius 103
Butco 36

Casalpinus	115	Cortesius	3
Cariolanus	104	Crato	83
Calignonus	129	Cromerus	93
Calvinus	34	Crucelus	66
Camerarius	58	Cruserius	59
Camerarius	119	Cujacius	95
Camotius	73	Curio	47
Candala	101	Danesius	65
Caninius	20	Dasypodius	121
Canterus	63	Denores	98
Capilupus	27	Dodonæus	83
Caracciolus	86	Donellus	101
Carafa	102	Draconites	40
Cardanus	64	Driander	29
Cassander	42	Duarenus	24
Castalio	34	Dudithius	94
Castellanus	85	Duza P.	126
Castelvetrus	52	Duza F.	112
Cavalcantius	32	Echinus	83
Cevallerius	55	Egnatius	12
Chemnicius	86	Erastus	78
Chytræus	123	Espencæus	50
Ciaconus	73	Fabricius	52
Ciaconus	120	Fabricius	57
Clarius	16	Faber	79
Clutinius	60	Faber	122
Cocchlæus	8	Faernus	29
Columna	85	Falcemburg.	67
Commandinus	62	Fallopius	31
Commelinus	118	Fernelius	21
Constantinus	129	Ferrarius	85
Contius	65	Ferrerius	90
Coquillius	126	Ferronus	33
Cornarius	21	Ferus	13
Cornarus	40	Fichardus	74
Corradus	18	Flaminius	7

Florens

Florens Chr. 114
Foesius 114
Folengius 26
Folieta 73
Forsterus 18
Foxus 79
Fracastorius 12
Franchinus 14
Frisius 15
Fumerius 42
Frisiblius 99
Fuchsius 40
Fuggerus 81
Gambarus 85
Garnerius 97
Gelenius 14
Gelida 18
Gesnerus 33
Genebrardus 116
Gerbelius 29
Gesnerus 37
Giphanius 127
Gillius 17
Giselinus 102
Glareanus 34
Golizius 78
Gomecius 71
Gorræus 65
Govianus 38
Gratarolus 45
Grevinus 48
Grollierius 39
Gruchius 54
Gualterus 87
Guetius 88
Guicciardinus 94
Guillandinus 93
Guinterius 59
Gulielmius 81
Gyraldus 9
Hadrianus 70
Hartungus 69
Heresbachius 64
Hervetus 80
Heurnius 123
Hollerius 31
Hospitalius 56
Hotomanus 95
Hambularius 35
Janotius 53
Illyricus 62
Jobertus 75
Jovius 10
Juellus 52
Junius 62
Junius 124
Lambinus 53
Lampsonius 119
Landus 31
Langius 37
Langius 56
Languetus 72
Langus 43
Lasinius 104
Lassus 108
Lavaterus 87
Laureus 103
Lazius 15
Leovicius 59
Leopardus 44
Lescotus 68
Levineius 110

Lunclauius 104
Lipomanus 23
Lipsius 130
Loisa 120
Lonicerus 46
Loticbius 29
Luisinus 45
Macrinus 20
Majoragius 16
Maldonatus 77
Maniatus 88
Manutius 57
Manutius 117
Margarita Navar. 3
Margunius 123
Marianus 129
Martyr 31
Masius 56
Mathesius 36
Mattbiolus 66
Maurolycus 62
Melanchthon 28
Meliffus 124
Menilius 47
Mercator 107
Mercerus 49
Mercurialis 127
Methercus 101
Micyllus 21
Milichius 26
Mizaldus 68
Molanus 83
Molinæus 41
Mollerus 93
Molza 3
Montanus 7
Montanus 104
Montanus 118
Montaureus 50
Morales 100
Morata 16
Morellius 35
Munsterus 8
Musculus 33
Muretus 82
Nannius 20
Navarrus 84
Neander 110
Nerius 110
Nobilius 98
Nonius 66
Onufrius 45
Oporinus 44
Orontius 17
Ortelius 119
Osorius 71
Offæus 127
Osualdus 69
Patus 74
Palæotus 117
Pamelius 88
Pantagathus 43
Papius 72
Passeratius 124
Patricius 117
Pelletarius 75
Pellicanus 15
Pena 22
Perionius 25
Perpinianus 42
Peruta 180
Petreius 116

Peucerus 124
Peutingerus 2
Philander 38
Picolomineus 68
Pierius 5
Pincianus 10
Pinellus 122
Pithæus 114
Plantinus 92
Porta 129
Portius 13
Portus 74
Poſtellus 72
Puteanus 106
Putſchius 130
Ramus 52
Raticus 64
Ramuſius 19
Ranconetus 24
Raphelengius 118
Raſarius 68
Regius 69
Reineccius 110
Reinboldus 11
Reſendius 67
Rhenanus 2
Ricobonus 121
Rivius 11
Roaldeſius 92
Robertellus 43
Rondeletius 41
Rouſardus 83
Rota 61
Rulandus 124
Sabinus 29
Sadeël 101
Sadoletus 2
Salinas 100
Salvianus 54
Sambucus 81
Scaliger 22
Scheudius 53
Schonerus 2
Scrimgerus 51
Senenſis 46
Sepulveda 55
Sigæa 28
Sigonius 82
Simlerus 63
Skala 12
Skekius 87
Sleidanus 18
Speronius 90
Stadius 69
Stephanus 25
Stephanus 119
Stifelius 43
Streinius 123
Strigelius 45
Strozza 38
Strozzia 102
Sturmius 12
Sturmius 93
Superantius 123
Surita 71
Surius 67
Sylburgius 112
Szegedinus 55
Tartalea 20
Taſſus 109
Teleſius 90
Tilii 48

Tiraquellus 23
Toletus 111
Torrentius 109
Tremellius 71
Trissinus 5
Turnebus 37
Turrianus 80
Vadianus 7
Varchius 40
Vasæus 4
Vasserius 61
Vatablus 1
Venerius 74
Vergara 23
Versosa 60
Vesalius 35
Vestgrius 82
Vida 40
Vieta 125
Vignerius 112
Villichius 9
Viretus 87
Volmarius 30
Ursinus 121
Utenhovius 121
Wesenbecius 87
Whitakerus 110
Wirus 89
Wigandus 87
Wolfius 53
Wossius 70
Wottonus 16
Xylander 63
Zabarella 93
Zachrus 98
Zartinus 120
Zeiglerus 4
Zwingerus 89